


GABRIELIS NAVDÆI,

PARISINI,

Eminentissimorum Cardinalium,

FRANCISCI à BALNEO,

FRANCISCI BARBERINI,

IVLII MAZARINI,

ac demùm Serenissimæ


CHRISTINÆ - ALEXANDRÆ,

Reginæ Suecorum, Gothorum & Vandalorum,

BIBLIOTHECARII,

EPISTOLÆ,

Nunc primùm in lucem prodeunt.



GENEVÆ,
mptibus IOH. HERMANNI WIDERHOLD.
MDCLXVII.

ILLUSTRISSIMO,

Nobilißimoq; Viro

HENRICO LUDOVICO

HABERT,

EQUITI DOMINO DE MONTMOR, COMITI CONSISTORIANO, AC LIBELLORUM SUPPLICUM PROTO-MAGISTRO.

MIRARI noli, *Literarum & Literatorum Mecanas Amplißi-*

me, quòd Vir Clarissimus GABRIEL NAVDÆVS vicennium prope post obitum modò Te adeat, ac in Tua instructissima Bibliotheca memoriam sui perennare studeat, tuísque sub auspiciis vniuersum Orbem Literarium perlustrare contendat, quandoquidem Epistolarum lectitatione mirum in modum delectaris, Auctorum mentem longè sincerius expiscaturus inde,

de, quàm ex Oratoriis eorum Operibus, quantumlibet perpolitis : Adde quod ipsum Naudæum, in Viuis cùm esset, eruditè loquentem tuis in Ædibus audire non semel sustinueris; ab eóque varios variis de rebus conscriptos pellegere libros, styli elegantiâ & veritatis amore supra modum luculentos, quorum singulari præstantiâ per ora virûm volitare cœpit, &

Mufarum Patronos omnes fibi conciliare, fuas diuitias Eruditos docens, fuas delicias Principes, atque Reges ornamenta fua, dum Bibliothecas illuftres tot excitauit, ordinauit & curauit, librorum editiones varias, nomenclaturas ac pretium memoria tenens, quot fingula tulere Sæcula. Per ipfum enim vixiffe libros & librorum fummum helluonem fuiffe nul-

nullus ignorat, licèt eorum ſuaui ſucco nunquam ſaturatus, atque laudum plenus, quantum homini fas eſt, febris fuerit extinctus Abbauillæ, prout videre eſt in eius Elogio & Epitaphio equentibus Quare tenerrimum illum in Literatos amorem tuum enixè deprecor, vt Opus hoc poſthumum beneuolè velis ſuſcipere, tum ob

Iatrophysicas Quæstiones in eo excitatas, tum ob Auctoris, cui non parùm fauebas, & Amicorum ipsius, nominis haud parum, ad quos illæ familiares diriguntur Epistolæ, amœnioribus Parnassi floribus adornatæ, splendorem. Gaudebunt superstites illi, gaudebis & ipse plurimùm Naudæum insuper Reipublicæ Literariæ historiam

ſine fuco contexentem audire; illius Epiſtolica ſiquidem conuerſatio ſignificat etiam quidquid in toto Muſarum ambitu peragatur, quid Auctores hi moliantur, quid illi patrarint, quid & edant illi. Quapropter non aſpernaberis, vt ſpero, *Vir Incomparabilis*, ſingularis obſeruantiæ erga Te meæ ſpecimen hoc tenue, neque dedignaberis illud

pro tua bonitate tanquam præludium propensissimæ nostræ in tua voluntatis obsequia.

Addictissimus, ac humillimus tuus

ANTONIVS DE LA POTERIE.

TYPOGRAPHVS LECTORI, S.

NON *requires, opinor* Beneuole Lector, *quare prelis Parisiensibus Epistolarum hoc Opus non habeas demandatum, Auctoris vti partem habes Elucubrationum maximã, quando noueris nihil ab Autographo, quem habeat An-*

tonius Poteria, characteris illius interpretator non ignarus, mutilatum, nec ab eodem Exscriptore quidquam omissum, sicuti facile dijudicare poteris, si cupias ipsummet Autographum, nunc asseruatum in Bibliotheca Illustrissimi Domini Henrici Ludouici Haberti Monmorij Libellorum Supplicum Magistrorum Decani, inter Clarissimorum Virorum raros Codices Manuscriptos, huic Editioni nostræ cõferre.

ferre. Neque verò requires, quare ferè vicennium ab Auctoris interitu jam solùm in lucem prodeat hoc opus, si etiam noueris sumptus necessarios ad omnia illius vnum in corpus edenda Opera superfuisse; curam Editionis acceptatam fuisse à Doctissimo, Dilectissimóque suo amico, Reuerendo Patre Ludouico Iacob à S. Carolo Cabilonensi, Ordinis Carmelitarum, Regi Christianissimo à Consilijs & Elemosynis, qui,

quodpotuit, eius in commendationem egit, & collegit à Viris clarißimis, redegítque vnum in Libellum typis elegantißimis Cramosianis, anno MDCLIX. *sub hocce Titulo,* V. Cl. Gabrielis Naudæi Tumulus, complectens Elogia, Epitaphia, Carmina tum Latina, tum Gallica variorum Cl. Virorum, cui accessit Catalogus omnium Naudæi Operum. *Ex quo Libello decerpsimus ad tanti*

Viri

Viri vitæ sufficientem notitiam eiusmet Elogium à Cl. Viro Petro Hallæo eloquentissimo Oratore; Iuris vtriusque Doctore & in Academia Parisiensi Regio antecessore & Poëta, necnon Epitaphium à nominato R. Patre Ludouico Iacob. Hortatus est etiam sæpissimè ad Editionem Operum Naudæi peragendam Adamus Framezelle, eius Amanuensis, tum ex mandato in vltimis, tum ore & scripto, quo-

niam cum ipſo varias, comitis in ſpeciem, potiuſquam Amanuenſis felices per Europam ſuſceperat peregrinationes ad ingentem illam Eminẽtiſsimi Cardinalis Mazarini locupletandam Bibliothecam, ac demùm ordinandam illam Sereniſsimæ Chriſtinæ Reginæ Suecorum, Gottorum & Vandalorum; quapropter ſpem Editionis Operum Patroni ſui videns emortuam, hoc Opus Epiſtolarum ſepeliri noluit in tenebris,

bris, sed illi lucem quæsiit à supradicto Poteria, Consobrino suo, lectu difficilem illi consignando Autographum ad ipsummet enodandum atque describendum, vt Typographicis inseruiret operis, quod eo pridem in Literatos amore confecit, quo Celeberrimi Patroni, heu! quondam sui, Petri Gaßendi Opera in folio, sex in Tomos diuisa, Lugduni nuper accurauit & emendauit, quibus est præfixa Illustrißimi Domini Mõ-

morij Præfatio & summi illius Philosophi Vita ab ingenio, doctrináque ornatissimo, Samuele Sorberio. Debes etiam plurimum, Beneuole Lector, *curis doctissimi Caroli Sponij, Doctoris Medici Lugdunensis, qui Literatorum in gratiam, ac speciatim Eruditissimi Guidonis Patini, in Academia Parisiensi Medicinæ Regij Professoris sui carissimi, Auctoris Amici singularis exsecutus est quod potuit ad difficiliora*

ſcriptionis enucleandæ, & ad hanc Editionem accelerandam. Auctoris latinitatē efferre non conamur impræſentiarum, quia manifeſtam omnibus eſſe putamus tum ex juuenilibus eius, tum ex virilibus Opellis, quæ politioris vbique Romanæ Gentis elegantiam ſapiunt; quare hacce fruere, quam ſi benignè excipias, animum dabit ad Volumen alterum Epiſtolarum ad Clariſsimos alios viros ſcriptarum.

quas nancisci nondum potuimus, publici juris faciendum; spem enim ejus nobis facit Poteria, studio flagrans indefesso Rempublicam juuandi Literariam.

Vale interea.

GABRIE-

GABRIELIS NAVDÆI

ELOGIVM,

A Cl. V. Petro Hallæo I. V. D. & in Academia Parisiensi Regio Antecessore & Poëta.

QVÆ ad insignem eruditionẽ comparandam præsidia conferunt, GABRIELI NAVDÆO fermè universa adfuerunt; Patriæ &

ſæculi eruditio, ſolers ingenium, indefeſſus in ſtudio labor, otium, librorum copia, cultiſſimorum hominum conſuetudo, & mira in ſcribendo facilitas. Hoc ineunte noſtro ſæculo natus eſt Pariſiis in Parochia Sancti Mederici, ex honeſtis parentibus, qui puerum à tenera ætate lectitandis libris ultrò addictum, & apprimè diſcendi cupidum, omni curâ ac diligentiâ educandum

dum esse statuerunt. Itaque, ubi per ætatulæ vires licuit, virorum Religiosorum familiæ ad pietatem & ad studiorum elementa instituendum protinus ab iis commendatus est: tum Academiæ Parisiensi traditus, humaniores literas hausit avidissimè, ac duos illius temporis celeberrimos Philosophos, Ianum Cæcilium Freyum, & Petrum Padetium, eâdem animi alacritate audivit,

Artiúmque lauream ſatis maturè meruit. His communibus ſtudiorum fundamentis feliciter jactis, quam ædificii formám ſuperſtrueret, dubius tantiſper hæſit. Sublimitatem Theologiæ & ejus præmia Amicorum quidam oſtentaverant: ad Philoſophiam tamen & Medicinam deflectere maluit. Itaque ſtudiis utriuſque deinceps totus incubuit, ut Phyſicæ compa-

parandæ & variis libellis conſcribendis, quorum nonnulli jocantis, multáque rerum cognitione luxuriantis ingenij vim & naturam, aliqui eruditionis in Adoleſcente jam maturæ fructum oſtendebant, ſe parem præſtiterit. Ea res illum protinus inſignem famâ extulit. Henricus Memmius in Senatu Præſes infulatus, qui ſcientiæ culmen attigiſſe vulgò dicebatur, ac

doctos præclaráque ingenia, quorum vis ingens tum effloruit, præmiis ad se vel amicitiâ alliciebat, NAVDÆVM aliquandiu detinuit. At cùm ipse Medicinæ cœpto studio fortiùs insistere meditaretur, Patavium, quæ omni studiorum genere florentissima Italiæ civitas est, se contulit; unde suum opus omni curâ promoventem patris interitus, rerúmque domesticarum ratio ante

ante vertentis anni metas invitum revocavit. Agebat eà tẽpestate XXVIII. suæ ætatis annum, quo præclarum ingenii, eloquentię & eruditionis specimen edidit. Scholæ Parisiensi jampridem in more positum est, Oratores ferè in singulis Facultatibus deligere qui egregiarum Artium candidatos, per biennium publicis certaminibus comprobatos, stadio, quod iisdem

ad Doctoris gradum & decus aſpirantibus ex more decurrendum eſt, dimiſſos, in ſolemni civitatis concurſu, ſingulos publicè commendent. Eam tũ provinciam NAVDÆO Medicorum Schola communi conſenſu impoſuit, nec expectatione ſuâ excidit. Ipſe enim id muneris tantâ induſtriâ, tantâque famâ implevit, vt, cùm propter abſentiam ſtadii ſcholaſtici intra proximum

mum biennium decurrendi finibus exclusus fuisset, ad illud tamen cum aliis, qui jam propè medium confecerant, ab universo Collegio admissus sit, ac munera non exiguo pretio digna ipsi oblata sint, à quibus abstinuit. Ex eo egregiâ nominis gloriâ inclytum Petrus Puteanus, sanctissimus literarum hospes, decus & fautor, Ioanni Francisco Cardinali à

Balneo eminentissimo S. R.E. Principi commendavit, à quo protinus in familiam adscitus, amplissimæ Bibliothecæ procurandæ præpositus, & ab epistolis Latinè conscribendis habitus est. Deinde verò cùm jus ac stipendium Archiatri Regii Princeps Christianissimus Ludovicus XIII. ipsi concessisset, Doctoris Medici insignia in Academia Patavina publicè

& ho-

& honorificè promerita recepit, quibus novam dignitatem adornaret. Cùm decennium & egregiam industriam in honorato illo contubernio consumpsisset, & eo nomine Cardinalium Collegio probatissimus fuisset, non caruit, qui suo Mœcenate, quem mors ipsi eripuit, destitutum, & reditum in Galliam meditantem retineret. Cardinalem Antonium Barberinum, pro-

ximâ ſummi Pontificis Vrbani VIII. cognatione & amicitiâ illuſtrem colere maluit. At Cardinali Richelio, cujus conſiliis res Gallicæ tum regebantur, ejus operam requirente, is relictâ protinus Italiâ tanti viri voluntatem ſequi neceſſe habuit. Ejus tamen conditione diu vti (brevi enim pòſt interiit) non potuit. Rurſus igitur vacuum Cardinalis Mazarinus, in quem Anna

Au-

Austriaca impuberis filii tutelam Regnúmque ex Regio conjugis testamento administrans, rerum curam transmiserat, occupavit. Illustri Viro magna animo agitanti, tantam librorum omnis generis congeriem intra paucos annos per Europam ferè universam conquisivit, eámque Bibliothecam instruxit, vt alia nulla numerosior, nulla locupletior, nulla opti-

morum quorumcumque librorum cùm typo, tùm manu exaratorum ſupellectile ornatior, omnibus retrò ſæculis extitiſſe memoretur (Curam eiuſdem Bibliothecæ, nunc elargitæ Collegio Mazarineo, Sorbonæ Doctoribus cõcredito, demandatam Domino Securienſi Priori Franciſco De la Poterie, & Eminentiſſimus ille, & adhodiernum vſque diem Hæredes eius fidam ſunt experti.

experti.) Exinde turbis civilibus rerum arce Regníque finibus ejectus est idem Cardinalis: cum eodem cessit & ipse NAVDÆVS, sed interjecto tempore, & in regionem longè dissitam distractus. Christina Suecorum Regina inaudita, si sexum spectes, variæ eruditionis fama per orbem celebrabatur, & ad se, quos poterat, egregiè literatos sibi notos, quà literis, quà

præmiis evocabat. Ipſa quoque Bibliothecam diligentia & ſumptu non mediocri ſibi inſtruxerat. Ad eam ordine digerendam & ditandam NAVDÆVS ab eadem invitatus, eò, concedente Cardinali Mazarino, profectus eſt: ſed cùm rei propoſitæ neceſſariam operam naviſſet, tædio illius Aulæ, cujus priſcam ſimplicitatem ac fidem nonnulli literati, gratiam malis artibus na-

cti, corruperant, Patriæque recepta tranquillitate pacatóque civium dissidio, respirantis desiderio affectus, ad reditum se comparavit. Auctus itaque præmiis, & à Regina honorificè dimissus, in viam sededit: ex cujus labore collectam febrim passus, in Galliæ lumine apud Morinos in oppido, cui * Abbatis-Villa nomen est, ad Somonam an-

* *Abbeville en Picardie.*

no ſæculi & ætatis LIII. mortem obiit, ac ibidem ſepultus eſt in Parochiali Eccleſia Sancti Georgij. Mirâ ſobrietate & vitæ caſtimoniâ inſignis extitit. Toto vitæ tempore abſtemius fuit, carnes conditas, menſæque lautitias oderat, nullíſq; fructibus, præterquam caſtaneis avellaníſque nucibus veſcebatur. Procerum ac vegetum corpus, acre & promptum

ptum ingenium à natura ſortitus fuerat: loquendi libertatem Philoſopho verè Chriſtiano dignam etiam apud Primates ſemper uſurpavit. Cum quibuſdam de auctore librorum de Imitatione Chriſti diu multumque rixatus eſt; cum plurimis tamen veram ſtabilémque amicitiam, ac fermè cum omnibus, qui tunc eruditionis famâ florebant, æquabilem conſuetudinem coluit.

GABRIELIS NAVDÆI
EPITAPHIVM.

D. O. M.

GABRIELI. NAVDÆO. LVTETIÆ. PARISIORVM. IN. S. MEDERICI. PAROCHIA. HONESTIS. PARENTIBVS. IV. NONAS. FEBRVARII. ANNO. M. DC. NATO. MEDICO. PATAVINO. AC ROMANO. REGIO. ACADEMICO. HVMORISTÆ PERPETVO. ABSTEMIO. CANONICO. VIRDVNENSI. PRIORI. ARTIGIÆ. APVD LEMOVICES. INTEGERRIMO. PHILOLOGO. EXIMIO. POETÆ. A NATVRA. FORMATO. CVLTORI. MVSARVM. CELEBER-

BER

EPITAPH. AVTHORIS.

BERRIMO. HENRICI. MEMMII. SENATVS. PARISIENSIS. PRÆSIDIS. INFVLATI. PRIMVM. DEINDE. EMINENTISSIMORVM. PRINCIPVM. S. R. E. CARDINALIVM. IOANNIS. FRANCISCI. A. BALNEO. ANTONII. BARBERINI. SVMMI. PONTIFICIS. VRBANI. VIII. EX. FRATRE. NEPOTIS. ET. IVLII. MAZARINI. REGVM. CRISTIANISSIMORVM LVDOVICI. XIII. ET. XIV. ARCANORVM. CONSILIORVM. ARBITRI. TANDEM. CHRISTINÆ. SVECORVM. VANDALORVM ET. GOTHORVM. REGINÆ. BIBLIOTHECARIO. VIRO. RELIGIONE. PIETATE. MORVM. INTEGRITATE. ET. ANIMI. CANDORE. VERE' CONSPICVO. VINDICI. VERITATIS. FORTISSIMO. FIDELISSIMO. OMNIBVS. LITERATIS. AMICO. SCRIPTORI. VARIORVM. LIBRORVM. VTROQVE. IDIOMATE. ERVDITISSIMO. REDVCI. EX. SVECIA. ABBATIS-VILLÆ. APVD. MORINOS VIOLENTA. FEBRE. CORREPTO. POST.

EPITAPH. AVTHORIS.

SVSCEPTA. ECCLESIÆ. SACRAMENTA. DIE. XXIX. IVLII. ANNO. INCARNATIONIS. M. DC. LIII. INTER SVORVM. MANVS. CHRISTIANE'. ET. PIE'. DEMORTVO.

F. LVDOVICVS IACOB A' S. CAROLO, CABILONENSIS, ORDINIS CARMELITARVM, CHRISTIANISSIMO REGI A' CONSILIIS ET ELEEMOSYNIS, ETC. AMICO SINGVLARI AMICVS SINGVLARIS POSVIT

MONVMENTVM ÆRE PERENNIVS.

IN-

INDEX EPISTOLARVM

GABRIELIS NAVDÆI PARISINI,

AB ANNO ÆTATIS ET SECVLI XVIII. AD OBITVM VSQVE M. DC. LIII.

Secundùm Ordinem Alphabeticum, & cuiusvis Epistolæ Numerum & Paginam.

NB. Prior Numerus, virgulam (,) post se habens, Epistolam; Posterior verò puncto (.) munitus, paginam denotat.

Moreau

EPISTOLÆ GABRIELIS NAVDÆI PARISINI.

I.

Erudito Iuueni & Amico singulari, Domino Fuzelet, S.

Aurelias.

SI vales, valeo, tuas eodem die, quo & Politicam, accepi literas, quibus me de felici, faustóque aduentu & bona valetúdine tua certiorem fecisti; quod certè tanta alacritate gestiens accepi, quantâ priùs animi conster-

natione mœstus, in describendæ Politicæ desperationem fermè inciderám: hanc tamen bono tuo fauente Genio nactus in majori charta vt Collectaneorum nostrorum partem aliquam faciat, describere aggredior. Eam & si quid hoc anni vertentis principio habeam, Strenarum vice, dummodò literis expostulas, accipere poteris. Scripta & pecuniam Domino Rolando, nunc in Collegio Crassinorum Tullij facetias ex secundo de Oratore (vt ipse loquitur) venundanti, statim a discessu tuo tradidi. Dominus Champagne ea, quæ Iesuitarum sunt, habet, quorum Pater Monot hoc Brumali tempore versatur in agnis: Proximus auroræ classicus in antiquitatibus Ægyptiorum disquirendis, vespertinus verò

verò in funeribus & ſacrificiis tradendis, quos Tractatus tibi & mihi meto; reliqui Academiæ Claſſici fulmineo veluti ictu perculſi ſtupent & auriculas demittunt, ex Philoſophis neſcio qua ratione Dominus Frey coruos deluſit hiantes, Dominus verò du Val Annotata tradit ad Politicam Ariſtotelis; hi ſunt flores & purpuræ hac in Vrbe vernantes, hæ ſtudioſorum amœniores deliciæ, ex quibus tibi Amicorum optimo & alteri veluti conſanguineo, ſertum variegato florum colore & genere diſtinctum colligam, offeram, vt Aurelianenſis doctrinæ & eruditionis floſculos mihi ad illius ornatum & veluti Corollarium communices, per Tutelares amicitiæ Deos enixè rogitans, nec eſt quod literarum diſtinctione illud

particulare reddam quod eſt duobus commune & cùm ſis mihi vnicus & ſolus inſtar omnium Amicorum veluti Coryphæus,

Præteritis melior, majórque futuris,

Idcircò vt hæc Epiſtola ſit noſtræ amicitiæ ſigillum & veluti teſſera obſecro & obteſtor,

Nam te fraterno complectar ſemper amore,
Redde vices, fratrem méque putato tuum.

Euryalo & Piladi quoad viuet quaſi Niſus & Oreſtes, Gabriel Naudæus: Pariſiis ſcribebam 4. Octobris, Anno ætatis & ſæculi 18.

II

Eidem.

VT primùm apertâ tuâ mellitos verborum globulos & ad ter-

ad tergum vſque decurrentes lineas vix dum finitas conſpexi, Laconicæ breuitatis acumen feſtinantibus calamis relinquendum eſſe, ſtylúmque prolixiorem Amicos inter amplexandum, ideóque ſingulis ad ſingula Epiſtolæ tuæ pereruditæ puncta mihi reſpondendum eſſe duxi, ſi priùs tamen ſitum & ſqualorem, quem ex renunciata improba valetudine tua contraxeram graui expoſtulatione abſtergere licuerit. Nunquid enim temeritatis & quidem jure maximo argui potes qui procul a Patria, Parentibus haud fretus, amicis nouis aut ſi quibuſdam nouis, innixus, omni ope, & conſilio deſtitutus herculeo nec irrito conatu (tecum enim vt ſeria ſic ſales miſcere lubet) caſtiſſimis ſororibus, Nympharum pul-

cherrimis, assiduisque gemini Montis incolis, per noctem inferre tentasti. Debebas equidem ex hoc intelligere haud minimam impendere capiti tuo perniciem, quòd non tantùm Musarum sed & Mineruæ vires minuentis & Palladis pallorem immittentis presidia hoc improbo labore perfringere studeres, vt videlicet tot sudoribus emissis, tot epotis lucubrationum fuliginibus tandem aliquando brauium virtutis & victoriæ tuæ signum consequereris. Scio quidem bellandum esse vt in pace viuamus, laborandum vt quiescamus, & quod ait Plautus *necesse est facere sumptum, qui quærit lucrum*, quoniam vt habetur apud Cassiodorum, *non est dignus coronari, nisi qui fortissimus meruit agnosci.*

Nec

Nec jacet in molli veneranda scientia lecto,
Illa sed aßiduo parta labore venit.

Quodque asserit Ouidius,

Fertilis aßiduo si non renouetur aratro.
Nil nisi cum spinis gramen habebit ager.

Excolendum tamen ingenium esse duco, non obruendum, & aliquoties ita relaxandum vt lubentiùs ad intermissa studia conuolet, firmiùs inhæreat, attentiùs discat, fideliùs retineat,

Arcus & arma tua tibi sunt imitanda Dianæ
Si nunquam cesses tendere, mollis erit.

Illudque commune Ciceronis ad Tyronem præceptum, *vt valetudinem curet*, tibi per amicitiæ nostræ leges præcipere vellem

obſeruandum; cui etiam vt lubentiùs incumbas, facit ipſa per ſe bona valetudo, res omnium hominibus chariſſima, qua deficiente nec valent ſtudia, nec prodeſt doctrina, nec juuat ſapientia. Cur igitur eam ita contemptui habes vt toto virium conatu, tota mentis animique contentione perdiu & pernox, ſaltem quantum ex tuis literis conjicere poſſum, ei aduerſa ſi quæ alia Iuriſprudentiæ ſtudia conſecteris, imò ſequaris. Hanc ob rem factum eſſe exiſtimo, vt citiùs mihi, quàm vrgeret neceſſitatis meæ ratio, libros quoſdam remiſeris, ne videlicet tibi hæc ſtudia feſtinanter proſequenti, & arduum virtutis callem contendenti impedimento forent, & oneri. Hos tamen, quod obiter monendum eſt, non ita ſquallidos, putreſ-

putrescentes & à pristino statu commutatos inueni, vt tot mihi deprecatoriæ satisfactionis paginæ deberentur, vrbanitatis Aulicæ, fucatæque amicitiæ obsequium potius, quàm veræ dilectionis testimonium. Quod superest mandatis tuis ita morem gessi, vt quaterniones Domini le Normand, qui tunc temporis Aurelias profectus erat, eius seruo tradiderim, & Pœmation a te concupitum non sine ope sudaui saliua intincti descripserim, hoc illud cum aliis quibusdam Beatæ Virginis elogiis ex Textore & Patribus velut Soteria, addito eleganti cujusdam Iesuitæ versu in mille modos volubili cum præsenti accipies, quæ omnia tibi aliquid in eius laudem meditanti, molientive auxilio esse poterunt, atque meæ vt-

cunque res se habeant, propensæ in te voluntatis, officijque testimonium, cuius vt perpetuò memoriam atque recordationem seruo, ita etiam in illius obsequium ex multis diuersisque Lectionibus publicis Tractatum Domini Grangierij de Magistratibus Franco-gallis, fœtum tamen Autographum Passeratij, quem tibi describerem selegi, idem de Oraculis te facturum existimans, quem si hûc descriptum transmittere velis, quemadmodum mihi pergratum feceris, ita etiam me non agnosces ingratum. Vale, Tuus ex toto Gabriel Naudæus. Parisiis 20. Nouembris 1618.

III.

Eidem.

SI vales, valeo, expectatam tuam, nec adhuc acceptam Epistolam, quæ me de bona valetudine studiisque & negotiis tuis certiorem faceret, vehementer doleo; nec satis mihi notum est, quid in hac difficultate cogitare debeam, neque enim tibi negotia & studia esse puto, vt vel tantillum temporis spatium scribendis literis sine insigni, magnóque illorum detrimento condonare nequeas, & multò minus negligentiâ & obliuione nostri, ad illud te adductum puto, vt vix sumptæ Musa tabellæ,

Imponat pigras penè coacta manus.

Morbo igitur illud ad scriben-

dum esse mihi persuadeo, quo in casu nondum adhuc errori te subducere potes, cùm multi amanuensium vice tibi possint esse sodales. Quidquid sit, si negotijs aliquid peccasti, otium tibi impostcrum opto, si negligentiâ diligentiam, si morbo, quod Deus auertat, sanitatem. Hoc solùm rogo, vt frequentiùs mihi rescribas, & florilegium isto vernali tempore rerum Academicarum nobis contra ignorantiæ fœtorem profuturum instituas, vt nostris laboribus veluti alis per acta studiorum librati possimus nos tollere humo, victoresque virûm volitare per ora. Quamobrem, vt æmulo, si non pari conatu, quantum in mea situm erit potestate, in Palestra desudantem sequar, Tractatum de Sibyllis descripsi, idem de anti-

tiqui-

tiquitatibus feci, idemque postea de Geographia & Horographia Domini Frey facturus sum, omissis, quos alij tradunt, similibus libris; turba enim onerat discentem, non instruit, multóque satius est paucis se erroribus tradere, quàm errare per multos, vt rectè monet Seneca. Meteora si mihi ea, vt in majori charta describam transmiseris, post reditum tuum tibi cum Politica restituentur, quod vt facias & tibi hoc pestilenti tempore caueas, rogo. Tuus ex ære & libra Gabriel Naudæus. Parisijs 1. Iunij 1619.

IV.

Eidem.

QVòd non impunè nugas & deliramenta nostra, literas videlicet acceperis, hoc efficij,

quòd verò largiori mensura magnóque cum fœnore reposueris, illud humanitatis tuæ fuisse existimo, qua sterili & iejunæ orationi meæ tua copiosa & vndanti acuminibus elata, Oratoriisque pigmentis & verborum lenocinijs lasciniẽti succurrendum esse censuisti, ita vt Catonianum illud dogma feliciter secutus,

Ne dubites cùm magna petas impendere parua.

Meritò gaudeam ab illo superari dicendi facultate, cuius nuper doctrina & eruditione verè dicam mirabili & prodigiosa, in illo virtutis & studiorum specimine publico tot ceciderint victi, prostratique Aurelianensis Academiæ fautores alumni; eo certè laudabiliores quòd à te superati, cuius in labijs Suadam sessitare

quis

quis dubitet 26. annorum ſpatio partam & propugnatam huic vrbi victricem palmam, vel grauisſimorum virorum iudicio vnica die præripueris. Faxint ſuperi me tuis fortunatiùs inſiſtere veſtigijs, quàm paruerim mandatis, quibus ob diſceſſum domini le Normand ab eorum Collegio.

Pauca quibus pullam ſubnectit fibula veſtem,

Vel ſi mauis, quos atrata galea triplici inſignis chriſta formidabiles reddit, proh dolor! morem gerere non potui. Salutationis officia cui mihi præceperas ea fide, non qua debui, ſed qua potui, parique diligentia reddidi, qua & mihi Meteora reddidiſti. Plura de bipedibus Paſſeratij nuper in diſcrimen famæ adductis & publico Epigrammate laceſſitis,

ſimulque de Geographia, Græciſque diſſertationibus Philoſophicis Domini Frey hîc a me non accipies, cùm de ipſis tutiùs poſt redditum te nobis, Meldas proficiſcentes ad itineris leuamen confabulari poſſimus. Accelera igitur, feſtina & poſt tot exantlatos labores Patrem, Patriamque ovans & coronatus reviſe, méque deſiderio tui languentem & penè confectum, quoniam anima magis eſt vbi amat, quàm vbi animat, mihi tandem redde. Vale, tibi & tuis omnibus: tuus Gabriel Naudæus. Pariſijs 17. Iulij 1619.

V.

Doctiſſimo Medico, Domino de la Grange.

INdulgebis, opinor, Amicorum doctiſſime, & negotiorum multi-

multitudini incœptóque & vix ad vmbilicum perducto labori facilè condonabis, si dum me totum sibi vendicat violenta quædam cogitatio de summis viris ab artis funestæ magisterio, Magorúmque contubernio liberandis, dum Typographorum officinæ latranti veluti stomacho pensum, dum amicorum vota felicem conatum, dum ipse laboris & tædij finem desidero, pereleganti tuæ & admodum comptæ hac tantùm breui & inelaborata verborum serie, voluntati verò & mandatis librorum, quos a me desideras, transmissione, respondere possum, donec eiusmodi stadio piè saltem si non feliciter emenso, & a grauioribus curis liber & vacuus, totus amicitiæ nostræ, studijs officijsque humanitatis promouendæ in-

cumbam, méque toto pectore tibi deuinctum, nec opera sequi nec festinante calamo demonstrem. Vale: dabat Parisijs majori nexu quàm consuetudine, tuus Gabriel Naudæus, die 4. Mensis Aprilis anni 1625.

VI.

Doctissimo Viro Domino Renato Moreau Medico Parisiensi.

Lutetiam

IRasceris forsan, aut saltem dolebis, Vir Doctissime, quòd is ego, qui tibi longos excursus & ad tergum vsque decurrentes, nec dum finitas Epistolas de hoc Patauino Lyceo & totius susceptæ peregrinationis negotio pollicitus fueram, non alias tamen hactenus, quàm breues, jejunas, nimiæ-

nimiæque festinationis & negligentiæ plenas ad te destinauerim: Et idcircò timerem magnoperè ne tibi nauseam moueret & fastidium stylus iste, quo nunc lallantis aut balbutientis instar fœcundæ tuę mentis & facundiæ flumen lacteum prouoco, nisi tua mihi satis explorata esset humanitas, summáque beneuolentia & amor in me tuus, qui hac in rę, quicquid peccatum est tot diuersorum itinerum molestijs & impedimentis lubens & citiùs condonabit, quàm neglectui, aut obliuioni nostræ, maximè cùm a discessu meo quatuor Epistolæ fuerint tibi (saltem vt arbitror) redditæ, quarum neque tanta erat breuitas, vt aliquid eorum, quæ te scire necessarium esset, prætermiserim, neque etiam tanta ser-

monis copia & vbertas, vt multa quæ ſcribere voluiſſem, in iis expoſuerim: Quare cùm in eiuſmodi literis nihil priùs aut antiquius ſemper habuerim, quàm ne quid te lateret eorum quæ circa librorum diſquiſitionem & tranſmiſſionem a me geſta ſunt. Supereſt vt cognoſcas me pro ſingulari, quo te proſequor affectu, collegiſſe adhuc & emiſſe ex diuerſis Bibliopolis, & ab octiduo tantùm iſtos omnes, qui ſubiectâ poſt Epiſtolam Nomenclaturâ comprehenduntur. Neque eſt quòd eiuſmodi libros aut omnes fermè alios, quos hactenus ad te miſerim, aut volumine exiguos, aut parùm celebres, aut denique ex Catalogi tui fide non eſſe collectos, vel conqueri poſſis pro tuo ſingulari candore, vel debeas pro

ea, qua

ea, qua tibi ſum deuinctus amoris & obſequij religione perpetua, vel omninò velis aut cogites pro iis, quæ tibi nimiſquam innotuere diſquiſitionis huius difficultatibus maximis, quæ tum ex quorumdam Bibliopolarum inſcitia, cùm ex aliorum Barbarie aut incuria paſſim vbique ſuccreſcunt & quotidie pullulant: Illudque omninò indubitatum eſſe deb : quod,

Si res ampla domi ſimilìſque affectibus eſſet,

Aut non mihi potiùs ex rivulis aliquid delibandum, quàm ex pleno fonte hauriendum neceſſe hactenus fuiſſet. Neque Venetorum Bibliopolarum frequentes tabernæ, neque Patauinorum pauperes & aliquando Barbaræ obſtitiſſent, quin & nouos om-

nes (qui multi ſunt) & ex antiquioribus longè plures tuo nomine comparauerim, cùm mihi non ſemel apud iſtos videre contigerit Alberti Magni quæ tibi deſunt, Opus magnum de Balneis, Roſam Anglicam, Marcellum de anima, Nyphum de animalibus, Dinum Sermonetam & infinitos propemodum ſimiles, quos ſiue tuis ſumptibus ne quidem comparari, ſed nec deſiderari poſſe ſatis ipſe vides & cognoſcis. Quamobrem ſi te tuis commodis & Bibliothecæ tantum fauentem experiar, quantum ipſe mihi ſemper viſus es, quum nihil defuturum hac in re niſi diligentiam & obſequium mecum pollicebaris; nihil eſt meo iudicio quod de illius augmento & ſingulari perfectione ſperare non debeas

debeas, dum modò præcipuè sumptibus illis præceptiones quosdam particulares & monita de libris potissimùm à te desideratis subjungere non recuses, diligenterque subinde me moneas de tota illa suppellectile libraria, atque Nundinis Franco-furtensibus vltimis, quarum beneficio libri multi jam apud vos forsan vilescunt, qui tamen hîc nouitatis gratiâ magnoperè commendantur. Colophonem denique tuis illis beneficiis addideris, si per te mihi liceat cognoscere, quæ vel acta fuerê Parisiis a discessu mei, vel in ipsis Francofurtensibus Nundinis, & quid in his de Apologiæ nostræ & instructionis exemplaribus, quæ Samueli Celerier paulò ante discessum tradiderat D. Targa Bibliopola no-

tus, idemque Amicus meus singularis, & quem idcircò peculiari nomine tibi commendatum esse velim, quod cùm illius beneficio & fauore Domini Chard Typographi Lugdunensis duos jam aut tres librorum fasciculos acceperis. Nihil est adhuc quod sperare non debeas de illorum industria, si tibi ad reliquos accipiendos nulla alia ratio vel securior vel promptior sese offerat. Quod tamen posse fieri vix ipse mihi persuadeo, maximè cùm hac eadem via nobis vti liberum sit, quâ nuperrimè est vsus amicus noster Venetus in transuectione librorum Domini de Preau, vel alia quapiam Mercatoris tibi noti, aut ad extremum Oratoris seu Legati nostri, cujus fauorem & beneuolentiam facil-

limo

limo negotio tibi conciliare poterunt amici tui communes, cùm ipſe ſit non mediocriter ſagax & eruditus, atque quod eſt præcipuum de te, tuiſque laboribus & ſtudiis toties audiuerit, vt ipſe non ſis illi multò minùs quàm ego tibi notus & in oculis frequens. Quantum verò ad literas tuas atque Collegij Doctores & eorum libros, nec non etiam lectiones attinet, plura certè cognoſcere poteris tum ex Rotulo, quem ad te breui tranſmittam, cùm ex ſtatutis & hiſtoria Collegij Patauini, quàm vt alia tibi valde impedito referre ſit neceſſarium, niſi quod Pariſanum tuo nomine ſalutaui, ſenem multis laboribus fractum, & continuâ ægrorum curâ atque domeſticis negotiis ita implicitum, vt vix illi tantum ſu-

persit otij, quantum ei opus est ad velitationes nonnullas aduersus Mundinium; quarum certè occasione factum arbitror vt nihil vnquam gratius aut acceptius illi contingere potuerit gratulatoria tua, cùm illam promptè admodum remuneratus sit binis exemplaribus primæ suæ Responsionis, quorum vnum accipies cum alio volumine in expansa similiter charta iustæ magnitudinis de Intellectu agente, quod eandem ob causam tradidit mihi cum suis literis Fortunius Licetus, de cujus etiam beneuolentia non est quod dubites, cùm te in amicorum & fautorum suorum Catalogum sub finem eius voluminis peramanter & benignè retulerit. Habet nunc sub prælo librum ingentem & mole sua prodigiosum de animi immor-

immortalitate, aliúmque præterea apud se meditatur de Quæstionibus Peripateticis in vniuersam Aristotelis Philosophiam, veruntamen, si, quod ipse vidi & testari possum, ingenuè fatendum est, hæc est ipsius Cremonini celebritas, tantáque ipsius doctrinæ auctoritas & nominis amplitudo, vt ipse solus in Scholis Philosophiæ dominetur, & velut amnis monte decurrens non tantum auditorum suorum mentem & oculos ad se rapiat, sed etiam Senatorum & Nobilium omnium, apud quos tanti sit & æstimatur venerabilis istius Senis prudentia, vt non alterius judicio stare soleant in multis contentionibus, quæ sunt inter ipsos nimisquam frequentes & periculosæ, neque aliter audiat apud reliquos om-

nes, quam Patauinæ Ciuitatis & totius Italiæ lumen maximum, Scholasticorum pater, Gallorum præcipuè fautor, & Aristotelicæ doctrinæ veræ, Germanæque propugnator ita tenax & acerrimus, vt videar mihi perpetuò hisce oculis intueri, & audire de Cathedra docentem rediuivum quendam in Terris Pomponatium, adeò securè & intrepidè Aristotelis mentem aperit, docet, inculcat, tuetur & defendit; speramus propediem librum suum de principatu membrorum, quem cum eius altero de Calido innato & omnibus aliis qui vel editi sunt nuperrimè, vel eduntur nunc a diuersis Doctoribus ad te dubio procul deferri curabimus. Profitetur etiam in eodem Collegio Ioannes ille Collè tibi pridem

dem ex numeroſis ſuis libris ſatis notus, qui ſummoperè deſideraret eorum Principum minorum videre nomenclaturam, quos tuo labore & induſtria typis & prælo paratos eſſe ex me non ſemel audiuit & miratus eſt, quare pergratum omnino mihi faceres, & tibi forſan non ingratum, ſi literas quaſdam elegantes tuo more & gratulatorias ambobus illis, & maximè Cremonino deſtinares. Cùm enim poſtremus iſte multa ſeruet apud ſe elaborata, quæ non ita liberè publici juris fieri poſſunt, nullatenus dubito, quin eorum maximam partem mihi conſequi liceret, ſi de mea probitate & amore in eum ſingulari teſtimonia quædam illi darentur ex mea commendatione, atque etiam ex ea, quam ſi fieri poſſet,

habere vellem a Domino Diodati, de quo Licetus & ipse præsertim Cremoninus nonnisi magnificè sentiunt & loquuntur. Interim si qui libelli famosi excudantur apud vos vel circa rationem status, vel aduersus Iesuitas, aut alios quorum vel exemplaria vel summaria tantum facili negotio transmittere possis, non est quod aliquid aliud aut illis jucundius, aut mihi vtilius excogitari posse vllatenus existimes, Vale. Patauij die 2. Nouembris anni 1626. Tuus omni nexu & copula Gabriel Naudæus Philiatros.

VII.

Excellentissimo Viro Domino Æmilio Parisano Philosophiæ & Medicinæ Doctori subtilissimo

Venetias

TAnti est apud me nominis & be-

& beneficiorum tuorum recordatio, vir Doctissime, vt nihil frequentius optauerim a discessu meo, quàm literas ad te mittere, quibus intelligeres, me nec ingratum, nec immemorem, non habere quod antiquius vel honorificentius mihi esse ducam amicitia tua. Quamobrem si testimonium illud, quantulumcunque sit, obseruantiæ & amoris in te mei, non statim Vrbe rediens ad te dederim; ne credas, si me ames, negligentiæ potiùs aut obliuioni, quàm rerum nouitati & diuersis impedimentis totum id, quod hac in re peccatum est, esse condonandum, neque enim ego is sum, qui te virum talem, támque a communi aliorum sorte remotum, silentio potiùs & torta veneratione, quàm debitis laudibus & encomiis mihi

colendum esse existimem, idémque prorsus statuit etiam apud se clarissimus ille Medicus Parisiensis Dominus Moreau, qui non alia de causa suis literis tibi nuperrimè gratulatus est, nisi vt testimonium quod ab omnibus Doctis studio & mirabili tuæ industriæ deberi satis intelligebat, saltem quantum est ex se persolueret & inter præcipuos nominis tui fautores & fauitores non postremus haberetur, vnde rem profectò moribus tuis & singulari comitate atque beneuolentia non indignam feceris, si virum istum tantopere tui studiosum, nec inter melioris notæ Doctores & Auctores postremum literarum tuarum expectatione continua non defraudes, méque doctrinam & auctoritatem tuam tanti facere existimes, quanti quisquam

quam subtilissimi & sapientissimi viri amplitudinem & dignitatem sibi vnquam faciendam putauit. Vale Patauij die 4. Decembris, 1626. Tuus ex ære & libra Gabriel Naudæus Philiatros.

VIII.

Doctissimo Viro Domino Jacobo Clauio, Medicinæ Chymicæ in Collegio Mantuano Professori dignissimo.

Mantuam

INgrati, aut saltem parùm grati animi jure merito postularer, vir Doctissime, si quod ab omnibus singulari tuæ virtuti atque industriæ deberi nullus non fatetur, ipse tibi & communis patriæ nexu multùm addictus, & antiqua fratris tui consuetudine non mediocriter deuinctus, & quæ his omnibus longè potentior est erud.-

tionis atque doctrinæ tuæ præstantiâ fermè coactus non persoluerem; timeréamque magnopere, ne sera nimis hæc quantulacunque officij mei ratio, vt extra decorum & vrbanitatis leges intempestiua adueniens parùm tibi grata foret, aut accepta, si non exploratum satis haberem, te pro summa, qua polles humanitate & beneuolentia, non tam celeritate temporis Amicorum officia metiri, quàm animi affectu & desiderio voluntatis æstimare solitum. Quamobrem cùm non essem nescius, quantum momenti ad amicitiam rectè conciliandam sibi vendicet temporis opportunitas & occasio tot inter felices euentus veluti gestiens & omnibus grata sese offerens, non sum veritus, Genium tuum potentem & non.

non nisi ad egregia quæque & sublimia factum silentio tamdiu colere, & tecta quadam veneratione prosequi, quamdiu rerum tuarum status nondum planè confirmatus has amicorum gratulationes non exposcebat; & nullus sese offerebat qui jejunum hunc & inanem ferè verborum strepitum sua apud te auctoritate juuare posset, & non vulgari gratia præmunire. At verò cùm jam & tuæ dignitatis firmissimè stabilita ratione, & excellentissimi Domini Droueti proximo discessu vtraque silendi mihi adempta sit occasio, non existimaui diutiùs cunctandum esse hanc Epistolam huic amico tuo singulari committere, tum vt mei erga te amoris & arrhabonis & pignoris vim habitura sit, cùm etiam vt ex ista cognoscas me tibi obseruan-

tiam illam deferre, quam prçſtare doctiſſimos omnes Italiæ video Scientiæ & virtuti,cœteros autem moribus & humanitati tuæ. Gratulor itaque & mihi gaudeo quòd Gallus apud exteros, quòd nouus Doctor apud emeritos, imò quòd nouæ Medicinæ Profeſſor apud vetuſtioris & antiquæ propugnatores acerrimos tanti æſtimeris, quanti quiſquam alius vnquam fieri poteſt. Gratulor etiam Sereniſſimo Principi tuo qui naſcentis. Academiæ primordia ſublimioris tuæ doctrinæ rore & eloquentiæ purioris lacte fœcundo voluit irrigari, vt de illa verum eſſet quod olim de Ciuitate Romana dictum accepimus,

Quo primùm nata eſt tempore magna fuit.

Gratulor deinde nominis tui famæ

mæ & celebritati, siue præsenti qua nunc ad inuidiam vsque satur esse potes, siue futuræ, cuius tantò securior esse debes, quanto tu novæ vel potiùs vtriusque Medicinæ primus in hoc Orbe nostro publicus Professor reliquis omnibus doctior & felicior extitisti. Sed omnium maximè gratulor Auditoribus tuis, quibus non nisi singulari Dei beneficio datum esse arbitror, vt te virum talem, támque amœno ingenio, tam singulari modestia & copiosa dicendi scribendique facundia præditum audire possint, non quidem in Circulis loquentem, sed ex sublimiori Cathedrà docentem, vel, vt verius loquar, Oracula dictantem. Atque vtinam ita me bene amet Heliconis aura, vt ex ipsorum numero, si fieri posset, esse vellem; sed quoniam mihi

tot hîc impedimentis districto longè facilius est hoc bonum desiderare quàm assequi, faciam quod Mercatores saliuam istam Mercurialem, id est lucri præsentis jacturam tacitus & merens apud me deglutiam, vel potiùs vt amantes, mille votis Cursum tuum prosequar, & interim si qua tibi erit, Amicisve tuis opera mea opportuna, efficiam profectò, vt nullum neque studium neque industriam meam in te excolendo, pro virilique mea exornando vnquam sis desideraturus. Vale, Patauij IX. Ianuarij 1627. Tui obseruantissimus Gabriel Naudæus Philiatros.

IX.

Doctissimo Viro & Amico meo Singulari Domino Iacobo Iouuin Medico Parisiensi Lutetiam

VEllem omninò, mi Iouuine, illudque summopere desidera-

ſcerarem, vt quanto animi gaudio & alacritate perfuſus expectatas diu literas tuas acceperim; non mihi difficilius eſſet hac Reſponſione quàm vultu, reliquiſque actionibus meis teſtari & ad viuum exprimere. Intelligeres profectò quanti fecerim ipſe veteris amicitiæ noſtræ teſtimonium tam elegans & confabulationis illius Epiſtolicæ grauem dictionem, quam poſt tot alias, quæ nobis præſentibus frequentes extitere, adeò ſapienter in commodum & vtilitatem meam efformaſti, vt ſanctè iurare poſſim, non minoris apud me ponderis & momenti fuiſſe tot egregias præceptiones & monita, quam ſemper apud antiquos Sibyllarum verſus aut Apollinis Oracula: maximè cùm citiùs veteres illi prophanis ſu-

perſtitionum ritibus illigati falſis eiuſmodi ductoribus obtemperantes ſeſe exhibuerint, quàm ego tuis præceptis, ſi non omnibus, at ſaltem magis neceſſariis & maximè ſtudiorum curam vrgentibus, lubens paruerim, ita vt nihil prorſus reſtaret etiam de Apodemicis executioni demandandum, niſi reliquæ ſupellectilis meæ tenuitas & nimiſquam exigua portio moneret me quotidie non eſſe de hoc itinere cogitandum, priuſquam expertus ſim patris mei liberalitatem, ſine qua quid facere poſſim aut debeam ſatis ipſe vides & cognoſcis. Reliquum igitur eſt quo mutuis officiis certemus inter nos & gratiam tibi cum fœnore reddam, vt quemadmodum mihi viam & modum reliquas Italiæ partes breuiter & com-

commodè perluſtrandi ſumma cum ratione perſcripſiſti, ſic ego te ad Immortalitatis templum per laboris callem velut equum generoſum ſponte currentem, non aliis quàm gloriæ calcaribus & victuri nominis atque perpetuæ celebritatis honoribus vehementiùs exhorter & liberiùs vrgeam: Neque enim tanta neceſſitudo quantam tu mihi tenuem eſſe voluiſti deſiderare videtur, vt bene animatum pectus tuum in veritate rerum perſcrutanda diutiùs otio torpere ſinam, & ea quiete conſumi, quæ minatur non ſolùm famæ tuæ rubiginem, ſed etiam animo tuo veluti fertili campo ſentes & lolium niſi frequentiùs illum excolere, repaſtinare & emangoniſare ſtudeas, vt tandem aliquando nobis præbeat meſſem

illam auream, Tractatum videlicet tuum de Elementis & eorum qualitatibus atque vniuersi natura, quem certè tamdiu nobis & Literatorum Reipublicæ non inuideres, si haberes ante oculos mortalitatem, qua asserere te hoc vno monimento potes; cùm in eo nihil sit humile aut sordidum, aut è medio petitum, sed omnia tam perspicaci judicio scripta, tam sedulo inuestigata; támque firmissimis rationum momentis confirmata, vt non citiùs huic labori Solis & publicæ lucis vsuram concesseris, quin famæ statim commendatus futurus sis Cæli tui non stella sed Sydus clarum & lumen perenne. Quamobrem rogo te, mi Iouuine & iisdem verbis, quibus Plinius Iunior Caium Rufum, admoneo, vt in alto isto pingui-

que

que ſeceſſu ſtudiis te aſſeras, hoc ſit negotium tuum, hoc otium, hic labor, hæc quies, in his vigilia, in his etiam ſomnus reponatur, effinge aliquid & excude quod ſit perpetuò tuum, nam reliqua rerum tuarum poſt te alium atque alium Dominum ſortientur, hoc nunquam deſinet eſſe tuum. Illud eſt enim Celeuſina, quo te in eadem naui literarum Rhemigem adhortari poſſum; hoc incentiuum, quod igniculis gloriæ tuæ neceſſarium judico, hic ſtimulus, qui te potenter vrgere debet, ad nomen tuum, in illo flore ætatis & viuida roboris lætitia, longè latéque propagandum, hæc denique verba, quibus pro tua, quæ in me eſt ſingularis, beneuolentia gratulari debebam eximiæ tuæ virtuti atque

doctrinæ, téque insuper certiorem facere quod toto licet abstrahar orbe,

Non amico diuisus agam, priùs ipsa recedet
Corpore vita meo quàm vester pectore vultus.

Patauij, die 25. Februarij, 1627. tuus omni nexu & copula Gabriel Naudæus Philiatros.

X.

Doctissimo Viro Domino Renato Moreau Medico Parisiensi.

Lutetiam.

COegit tandem, vir Doctissime, literarum tuarum grauitas & mixta cum eximio nitore sermonis puritas & elegantia, vt illarum desiderium, quod ex prioris meæ infelici casu paulatim defer-

deferbuerat, iterùm reſumerem, tantóque vehementiùs tuæ in me beneuolentiæ ſigna, non aliis quàm huiuſcemodi facundiſſimæ tuæ linguæ teſtimoniis exarari deſiderarem, quanto mihi notius eſt nullas hactenus extitiſſe doctiſſimorum hominum in hoc genere lucubrationes, quæ cum majori ſecuritate, vel amicorum tuorum nomina illuſtrare, vel eruditionis tuæ famam, cuius me ſtudioſiſſimum eſſe non ignoras, æternitati conſecrare poſſint, neque velim omninò exiſtimes me tuis aut cuiuſquam auribus abblaudiri & verba dare, quùm teſtes nunc habeam maximos & omni commendatione ſuperiores; qui hanc latinè dicendi laudem & miram eloquentiæ ſuauitatem tibi adeo familiarem

esse sentiunt & profitentur, vt cùm tot Recentiorum calamos viceris, nec veterum Romanorum eloquentissimis te postponant, nec sperandum quidem illis videtur fore aliquã in posteritate, qui tibi se similes esse glorientur, verùm licet magna sit hæc & paucis admodum concessa tot celebrium virorum concors, nec vllatenus discrepans sententia de virtutibus, quæ passim in oratione tua sic enitent, splendescunt & refulgent: major tamen illa est, & meo quidem iudicio, nominis tui dignitati debita commendatio, quàm ex singulorum applausu & calculo retulisti, miratus est enim in illa, quam omni tuo nomine obtuli Cæsar Cremoninus judicij grauitatem, prudentiam & cum summis viris, qua plurium
ipse

ipſe pollet, tractanti peritiam; laudauit in ſua Pompeius Caimus homo certè diſertus & eloquens dictionem illam nec horrentem grauitate nec venuſtate ſupra virum luxuriantem, nec vltra maſculos colores quidquam rebus obducentem; ſed omnium maximè placuit viro mitiſſimo, nec morum facilitate minùs quàm doctrina conſpicuo Ioanni Collé, ſingularis illa comitas & animi beneuolentia, qua tam blandè, tamque affabiliter & humane Genium illius & ingenium ad officia mortua prouocaſti, mihi verò, tot inter politionis literaturæ tuæ fautores celebratiſſimos, nihil aliud relictum eſt, præterquam & eloquentiæ tuæ copiam ſuſpicere, qua cunctis & ingenij ſagacitatem qua ſingulis, inquibus maximè

conueniebat, ſatis ſuperque ſpem eorum & meam prædicationem ſatisfeciſti. Quare gratulor tibi vehementer& mihi gaudeo, quòd viuus hac tempeſtate plus honoris & gloriæ retuleris ex tribus, aut quatuor iſtis paginis, quàm alius quiſpiam ex non minimis laboribus & ſcriptis, quorum nulla vnquam tanta fuit, quanta nunc eſt apud iſtos literarum dictatores, de tua exercitatione dicendi, ſplendore orationis & omni genere doctrinæ fama conſtans & nunquam intermoritura, ſed prouehor jam longiùs vel modeſtiæ tuæ fines patiantur, vel officij mei ratio poſtulet, quùm longè meliùs quid ipſi de te ſentiant&loquantur ex ipſorum Reſponſis cognoſcere, quàm ex orationis meæ tenuitate colligere poſſis aut debeas: Illud tantum

tum addo me non ampliùs pro reliquis exorare, ſed pro me ipſo deprecari & impenſiùs exoptare literarum tuarum aliquas ad me tranſmitti, quoniam ex ipſarum eruditione fructum, ex elegantia voluptatem, ex authoritate verò ſummum mihi honorem conciliari poſſe nullatenus dubito. Vale, Patauij die 6. Aprilis 1627. Tuus omni nexu & copula Gabriel Naudęus Philiatros.

XI.

Excellentiſſimo Viro Domino Æmylio Pariſano, Philoſophiæ & Medicinæ Doctori ſubtiliſſimo.

Venetias.

NOn ſum adeò rudis & ignarus meę, quæ ſumma ſemper eſſe debet erga tui nominis & eruditionis viros obſeruantiæ, vt te a grauiſſimis tuis lucubratio-

nibus & negotiis interturbare vellem, nisi veniam huius erroris mihi promitterent ea, quæ tibi familiaris est humanitas, & doctissimi viri ad postremas tuas literas responsio, quam nec volui, nec debui sine hoc qualicunque officij mei testimonio ad te virum percelebrem & eximium transmittere. Fauentis mihi fortunæ beneficium agnosco, quòd instar Mercurij Deorum colloquiis, hoc est tuis & excellentissimi Domini Moreau confabulationibus Epistolicis inseruire possim, sed mei nominis studiosæ voluntati & beneuolentiæ tuæ singulari acceptum perpetuo referam, si me nouum licet Tyronem & vltra Medicinæ limen vix progressum eorum, quæ tibi nunc cum illo nouo Thessalo gerantur non ignarum

rum esse velis, dolent enim vehementer, & Scholæ Parisiensis Doctores, & huius Patauini Gymnasij Professores & omnes Scientiarum & virtutis alumni, diuinas tuas Exercitationes ob istius crabronis & fuci strepitum non auctiores fieri, augeri, promoueri, & quod vnius homuncionis peccatum fuit, in vniuersum literatorum genus redundare, quamobrem pergratum mihi omninò feceris, si vt ad Dominum Moreau copiosè, ita ad me breuiter & amicè scripseris, quibus & fidem meam liberare & studiis tuis tranquillitatem; vel aduersario silentium desiderare, & jus tibi aliquando notum & cognitum fuisse, demonstrare possim. Vale, datum Patauij die 7. Aprilis 1627. Tuus ad omnia paratissi-

mus Gabriel Naudæus Philiatros.

XII

Doctiſſimo Viro Domino Renato Moreau Medico Pariſienſi.

Lutetiam.

QVandoquidem præſentis fortunæ meæ tenuitas & nummorum, quos a te, vir Doctiſſime, nuper acceperam, id quod apud me reliquum eſt, non mihi ſubminiſtrant ampliùs librorum nomenclaturas, quas in præcedentibus meis toties inueniſti, quoties hîc mihi aliquos illorum offendere contigit, qui ditioris & inſtructiſſimæ Bibliothecæ tuæ, vel numerum auctiorem, vel majeſtatem auguſtiorem, vel fructum & vtilitatem vberiorem tibi ſingulíſque bonarum literarum alumnis reddere poſſent, cogita[illegible] mearum ſterilis & vacua ad

cua ad te perueniret leuem quandam istius vrbis Patauinæ Sciagraphiam in hac Epistola adumbrare & Professorum qui in eius Academia præcipui sunt, velut Monogrammorum Deorum ideas, & prima quædam lineamenta repræsentare, quo nihil tibi desit ad cognitionem vt librorum, sic loci & Auctorum a quibus illi quotidie proficiscuntur. Quod dum facio, velim equidem, ita me bene amet Heliconis aura, vt nihil ego veritati demam, vel addam nihil mihi, vel quicquam alteri tribuam, sed id quod est, vel saltem quod mihi notum est, sine liuore vel fauore, sine palpo vel odio in medium afferam. Pictauium in Gallia qui viderit, huic faciliùs vt arbitror Patauij circuitus & magnitudo ex similitudine

innotescet, est enim Ciuitas ingens, vasta, & in media camporum planitie non secus ac classis in æquore conspicua, fortissima quidem, & ita egregiè & ex arte munita, vt hostium quorumlibet vel Maximilianorum etiam conatus facili negotio eludere posset, si quantum est roboris in eius situ & lateritia propugnandorum facie, tantum esset fidelitatis & obsequij in omnibus suis incolis & maximè in Nobilioribus familiis, quæ seu fatali quadam Imperiorum omnium senectute, seu recordatione pristini status, in quo summam fermè rerum penes sé habuerunt, seu odiosa Campanę cuiusdam maioris per singulas noctes pulsatione, seu denique alia quacunque de causa, parùm addictæ videntur dominio Venetorum &

rum & omninò molestè ferunt eorum tantum Nobiles non solùm Reipublicæ gubernaculis, sed etiam dignitatibus aliis tam Ciuilibus quàm Ecclesiasticis admoueri. Magnitudinem Vrbis multùm auget, & quasi in speciem alicuius Pagi grandioris effingit, non solum virentis graminis per vicos & plateas spontè herbescentis conspectus, & auium suauiter fritillantium, fringultientium, tintillantiúmque Musica, sed ipsa etiam Incolarum paucitas, & Ciuium rara multitudo, quæ in hac spatiosa Murorum intercapedine talis quidem est, vt si in Lybiæ Desertis, aut vastis Æthyopiæ Solitudinibus hæc erecta conspiceretur, tantò populosior existimari deberet, quantò inter tot alias Ciuitates Italiæ flo-

rentissimas, minùs habetur frequentata, siue id contingat propter nimiam Metropolis suæ viciniam, quæ vt alimenta sic homines & præcipuè artifices ad se vndequaque trahit, siue ob ingentes ædificiorum moles & ditiorum Venetorum palatia, siue denique ob communem Italiæ consuetudinem, quæ Mulieres in cameris, non aliter quàm volucres in caveis perpetuò coërcet & & reserat. Quidquid sit dolendum, est profectò hanc vrbem sortis eiusdem esse cum Paradiso Terrestri, qui licet pulcherrimus sit, paucissimos tamen nactus est habitatores; neque enim huic desunt egregiæ substructiones & ædificia, quæ si non ad luxum vt admiranda Lepidi Regia, si non ad fastum vt magnifica Pauli Basilica,

ſilica, ſi non ad miraculum vt aurea Neronis domus, at ſaltem ad ornatum & ſplendorem videantur conſtructa, non deſunt etiam ſinuoſi fluuiorum amfractus rebus omnibus aduehendis haud inutiles, non moles piæ nobiliſſimarum Virginum & mulierum, non reliquorum Ordinum è ſtipe viuentium ampliſſimæ domus, non aliorum diuites familiæ, non Sacellorum vbique miro cultu nitentium ingens & numeroſa multitudo, non fora ſiue Themidis priuata, ſiue Palladis publica jurgia dirimentium, non illis ambularia, Picturæ laquearia, ſtromata & omnis generis ſuppellex pretioſiſſima, non muri & propugnacula virentibus herbis, proceris arboribus, atque amœno florum genere paſſim circumue-

ſti-a; non denique altiores ex vtroque viarum latere Porticus ad Solis vel riſum per radios fortiores, vel fletum per copioſiores imbres pariter eludendum ex induſtria compoſitæ, quorum omnium lenociniis & dulcedine qui non caperentur, fatuum prorſus haberent palatium & pectus abderitanum veruerum in patria craſsóque ſub aere nati. At verò cùm tot Ciuitates vnius ornamentis, imò tot Beatitatibus & miraculis, illud etiam quod in omnibus aliis maximum eſt ad eius commendationem accedat, Gymnaſium videtur omnium Diſciplinarum Stoa, Porticus & Academia, Profeſſores ex doctiſſimis, qui per vniuerſam Europam degunt ſelecti, Auditorésque ex omni fermè Mundi plaga hûc veluti

luci ad Scientiarum mercaturam & bonarum literarum Emporium accurrentes. Pauca tamen mihi videntur in his duobus postremis animaduersione digna, quæ veritatis amore compulsus non possum, quin tanquam næuos in speciosæ Virginis fronte breuiter & modestè perstringam, & quidem quod ad Gymnasium spectat, illud cernitur vndequaque perfectum & absolutum; siue materiam spectes ex quadrato lapide, siue dispositionem ex duplici Classium & Ambulacrorum ordine, siue ornatum ex diuersis picturis & totuplici columnarum serie, siue denique Theatrum Anatomicum singulari industria & arte mirabili constructum. Sed cùm ad Professores & Scholasticos paululùm deflecto, non possum

in illis multa non admirari, quæ forſan delicatioribus aliis ſtomachum & nauſeam commouere poſſent; ſi enim ex Philoſophorum ordine Cremoninum & Licetum, ſi ex Medicorum Claſſe Caimum & Preuotium dempſeris, reliquorum omnium vix aliquis ex communi ſorte & literatorum angulis eminere conſpicietur, & horum quidem primipilorum atque Principum Cremoninus & Preuotius optimè docent & philoſophantur, ſed non multa ſcribunt, Licetus verò & Caimus multa ſcribunt, ſed non ita ſecurè philoſophantur & docent. Mitto concurrentium, vt vocant odio pluſquam Vatiniano ſeſe proſequentium criminationes & maledicta, mitto eorum qui ſecundo & tertio loco docent deſerta plerumque

rumque Auditoria, mitto denique Lectionum, quas habere frequentius deberent, interpolationes & nimis crebra atque longa Vacationum tempora; vt Auditorum pariter qui illic ſtudent ritus aliquos & conſuetudines multo magis admiratione dignas tibi proponam & finiam, quis enim non mirabitur quòd omnium rerum lege peruerſa Præceptoribus ſuis imperent, quòd prius ſint Doctores quàm Scholaſtici, quòd lauream promptiùs accipiant, quàm diſciplinam, quòd multò faciliùs excitent tonitrua in Claſſibus quàm ſtriges in nubibus, quòd meliùs effingant ſuis grunnitum quàm Parmenio, quòd acutiùs ſibilent quàm fures, quòd majorem ſtrepitum edant quàm Cyclopes, quòd omnium Ani-

malium voces rectiùs simulent quàm circumforanei nebulones & Agyrtæ, quòd denique non vt in Collegium proficiscentes calamis & atramento instructi, sed velut in pugnam & arenam descendentes pugionibus, gladiis, fulminalibus galeis & vmbonibus armati conspiciantur. Cæterùm vt hæc Academia non solùm juuenibus Philologis, sed omnibus aliis cuiuscumque Disciplinæ studiosis destinata est, sic etiam habentur in ea non tantùm Scientiarum & Humaniorum literarum Professores, sed alij etiam omnium fermè Artium, quæ ad vrbanioris vitæ decorum & honestatem faciunt, Præceptores & Magistri, ita vt si quis velit plectrum tangere, fides pulsare, equis omni motionum artificio insti-

instituendis incumbere, quo gestu lepores & quo Gallina secanda est videre, qua denique corporis figura, vel gladiorum ictus punctim inferre, vel declinare deceat, addiscere, horum omnium nullibi meliùs quàm Patauij compos esse possit. Quare nisi cum Academiæ cuiuslibet fama optimè conueniret ex communi studiorum lege Ciuium paucitas & locorum solitudo, quæ in hac Ciuitate maxima est, concluderem profectò verissimum esse de ea, quod olim paucis tamen immutatis Ioannes Anneuillanus siue Architeuius de Lutetia protulit, quia videlicet illic sunt & reperiuntur bona quælibet, omne venustum, omne bonum, si sola bonis gens multa faueret. Patauij, die 16. Maij 1627. Tuus o-

ni nexu & copula Gabriel Naudæus Philiatros.

XIII.

Pompeio Caimo Equiti nobilissimo, Patauini Collegij Præsidi & Medicinæ Theoricæ primo Professori.

Patauium.

NÆ tu, Pompei Caime, neglecti cultus & officij iure mecum agere posses, si tibi, quem toties sum expertus singulari comitate & beneuolentiâ magnum, eloquentiâ majorem, eruditione atque doctrinâ maximum, nihil eorum persoluerem, quæ vel data fides ab ingenuo, vel beneficiorum tuorum memoria a non ingrato, vel denique tui nominis celebritas a juuene studioso non tantum expetere, sed etiam extorquere possent; quamobrem illud vnum mihi summopere deprecandum esse

censeo,

censeo, quòd hac officij mei ratione non me citiùs exoluerim, quod in ære tuo diutiùs quàm par fuerit hæserim, vixque est quo me ab hac ingenti culpa liberem, nî pro tua, quæ summa semper fuit, humanitate, illud non existimes serò factum fuisse, quod propter vniuersæ familiæ ex Patris jactura consternationem, propter domestica negotia quæ, mirum in hoc casu, quàm frequentissima sint, maturiùs fieri non potuit; nihilque aliud quàm Deum ita mihi benè fauentem & propitium expeto, vt isto luctu parùm imminuto, hoc squallore aliquatenus deterso nihil prius aut antiquius habuerim, quàm his lineis apud te testari, quanti ego semper fecerim mentem tuam verè sublimen, verè heroicam, quanti nunc apud nostros,

quanti apud omnes, imò quanti apud posteros illam fieri, atque existimari desiderem, tantúmq; e abest, vt reconditæ tuæ doctrinæ debitam commendationem, tuis laboribus assiduis referendam gratiam, tuæque singulari & eximiæ virtuti reddendum honorem tacitus apud me præteream, quin é contrà vt statim in hunc tranquillitatis portum appuli, vt primùm tot Senatus literarij proceres, tot rediuiuos Machaonas in hac vrbe salutaui, cœpi continuò apud illos te summum Medicinæ dictatorem, atque genuinum vtriusque Philosophiæ parentem jactare, profiteri, prædicare, tibi vni literas humaniores, linguarum notitiam, politioris literaturæ laudem asserere, tibi bonorum omnium auctorum lectionem, Scientia-

tiarum omnium cognitionem, rerúmque omnium scientiam tribuere, a te denique paulo minùs quàm a Numine, sed multo plus quàm ab homine, idemque prorsus quod ad Heroe expectandum esse dixi, asserui, confirmaui, quare tuum est, nunc, Pompei Maxime, fidem meam tot illustribus viris datam liberare, tuum est Manuscriptis illis codicibus edendis, quos apud te typis paratos me vidisse retuli, tam sedulò incumbere, vt quemadmodum illi, qui jam ex libris tuis Politicis & de calido innato magnam spem de tuis laboribus conceperant, majorem illam adhuc ex mea de te prædicatione habuere, sic ipsimet tandem maximam & omni relatione atque cogitatione superiorem accipere possint, ex re-

liquis omnibus quos ſingulis Franco-
cofurtenſibus nundinis prodituros
eſſe ſpopondi, ſed maximè ex
duobus illis de iudicationibus Febrium
& de principatu membrorum,
quos vt egregium eloquentiæ
tuæ purioris ſpecimen, vt refertum
omni genere doctrinæ
theſaurum, vtque nobile capacis
ingenij tui monimentum nullus
eſt qui non ſummis votis exoptet,
cupiat, deſideret. De me verò
quantum ipſe poſſum polliceri,
tantumdem etiam ſperare debes,
atque ita apud tė ſtatuere, neminem
videlicet eſſe hîc vel alibi
qui magnificentiùs de te loquatur
& ſentiat, neminem qui tua omnia
pluris æſtimet aut faciat, neminem
denique qui vehementiùs
exoptet occaſionem aliquam ſibi
dari, qua hunc animum erga te
meum

meum tui cupidissimum atque amantissimum esse declarem, id quod ego libenter profectò sum facturus, si quando tu mihi ad eam rem fenestram aliquam aperueris, id est tempus locúmque indicaueris, quo id commodè facere possim: hac enim siue per te oblatâ, sive per me inuestigatâ atque beneficio amicorum aut mercatorum quorundam reperta occasione, quam primùm accipies Domini Moreau Scholam Salernitanam, Ioannis Riolani Opus Anatomicum, Instructionem meam de fratribus Rosaceæ crucis, Apologiam pro viris illustribus de crimine Magiæ falsò postulatis, & quod etiam nunc excuditur consilium pro struenda ordinatim Bibliotheca, reliquosque omnes quos ex hoc refertissi-

tuo Emporio desiderare poteris, tum ad studiorum tuorum iuuamen, cùm ad instructissimæ Bibliotheca tuæ decus & ornamentum, cuius meæ voluntatis si quando mihi liceat significationem aliquam tibi prębere, tum ego me non dedisse, sed accepisse locupletissimum beneficium putabo. Tu verò voluntatem tuam & quidquid constitueris, perscribe & me ama, Parisiis 1. Septembris 1627. Tuis virtutibus eximiis deditissimus Gabriel Naudæus Philiatros.

X V.

Eidem.

VIx ego, Pompei Caime, priores illas, quas ad te nuper destinaui, Lugdunensi Nuncio reddideram, cùm ecce obla-

ta

ta occasione viri, cum quo mihi summa semper fuit familiaritas & arctissima necessitudo in Italiam, rectáque in Academiam vestram cogitantis, non potui illum, nec debui sine meis ad te literis dimittere, tum vt præuentu occasionum, quas fors obtulerit exemplum tibi dem frequentis officij, cùm etiam vt cognoscas Scholæ Salernitanæ & librorum meorum exemplaria, quæ tibi promiseram, huius amici mei singularis bonæ fidei fuisse concredita, vt primum & securum ex hoc officio propensæ in te obseruantiæ suę testimonium elicere possis, donec reliqua non minus sincera ex illis, quæ tibi de eo in huius Epistolæ de cursu referam, certius innotescant. Ve im tamen in primis existimes, Pompei Maxime,

non fiducia officiorum erga te meorum quæ nulla sunt, non huius munusculis pondere quod titivilitium est, non denique obsequij mei respectu, aut alia quauis nostri consideratione factum fuisse, vt hunc apud te commendatum esse desiderem, sed sola tui & ipsius ratione, tui quidem quoniam non minùs singulari comitate quàm doctrinâ conspicuus, videris non solùm a consuetudine factus sed ab ipsa natura fictus, & efformatus ad vrbanioris vitæ momenta & omnem rationem humanitatis; illius verò quia dignissimus est si quispiam alius qui in amicitiam tuam admittatur & non postremum in ea locum obtineat, cùm ab eo eximię eruditionis tuæ fama primùm admirationem deinde etiam amorem expres-

expresserit, imò desiderium ardens videndi te & in tuum sinum, tuámque familiaritatem penitùs se insinuandi, quo largiori haustu facundæ tuæ mentis latices ebibere, doctrinæque tuæ sublimioris mirabiles effectus propiùs intueri atque aspicere possit. Multa tibi quæ ad illius commendationem non mediocriter faciunt referre deberem, quæ & propensiorem tuam in hunc voluntatem & affectum reddere, & meam de illo prædicationem non vanam & futilem esse demonstrare possem, sed vereor, Pompei Maxime, ne plus antiquæ & veluti fraternæ meæ cum illo necessitudini tribueres, quàm ipsimet veritati, si omnia quæ in eo summam laudem & commendationem merentur, exprimere vellem; quare

satis mihi erit inter egregias naturæ suæ dotes primò recensere quod mihi de te non nisi sublimia & heroica narranti prompte & in totum crediderit; secundò quòd animula sit & corculum illustrissimi Principis Domini de Candale, cui non tantùm Medici nomine operam, sed etiam Amici & magni Politici ratione suam industriam multis in rebus grauissimis accommodat, en tibi venit in mentem illius Horatiani?

Principibus placuisse Viris non vltima laus est?

Tertiò denique quòd ipse familiam ducat in certis quibusdam facultatibus & scientiis, quarum primus Princeps & primarius Professor æquissimo iure nuncupari & habere posset, nisi vir apprimè sapiens & in sua commoda bene ani-

animatus lauream ex tali mustaceo non ambiret, & summa omnia, quæ in illis artibus obtinuit, alteri longè nobiliori & vtiliori videlicet Medicinæ lubens submitteret. His ergo, Pompei Maxime, singularis amici mei meritis, & si quam apud te gratiam inuenire possunt precibus meis, tantum indulge vt ipse te talem erga se experiatur, qualem te sentiunt omnes qui forsan non tanto cum nominis tui cultu & religione, tantáque cum ingenij tui existimatione, ad te frequenter ex omnibus plagis & Europæ partibus accedunt, & si mihi fidem de illo adhibuisti, tu iterùm illi de me tui quàm maximè studioso & hoc nomine ingenium tuum grande, capax, diffusum per omnes artes in Scholis & Circulis passim affe-

rente, eandem non abnuas, Vale & iube, Parisiis die 16. Septembris 1627. Tuis eximiis virtutibus deditissimus Gabriel Naudæus Philiatros.

XV.

Doctissimo Viro Domino Iusto Hagneau Medico & Philosopho.

Venetias.

FEcit exiguum illud temporis interuallum, amicorum suauissime, ex quo iucundissimæ tuæ consuetudinis fructum nobis indulgere desiisti, vt vix vllam, nedum breuem hanc Epistolam ad te scribendam esse apud me statuissem, nisi mihi magno solatio fuisset abeuntem te ocyùs & frequentiùs literis meis saltem prosequi, cùm vehementèr exoptassem vt animo sic corpore posse comitari. Quoties enim subit mihi in

hi in mentem recordatio gratiſſimi noſtri conuictus, velut ex induſtria ad omnes facetiarum & leporum illecebras compoſiti; quoties obuerſantur animo hilarioris naturæ tuæ Genius, morúmque candor & mixta cum eruditione non vulgari tua comitas & elegantia, toties etiam iacturæ, quam abſentia tua mihi peperit, toties mœroris illius, quem tui deſiderium mihi reliquit, non poſſum etiam non reminiſci. Quamobrem patere, amicorum meorum Coryphee, hoc fidei atque obſeruantiæ meæ teſtimonio amicitiam noſtram velut fœcundis imbribus terram in dies magis ac magis exhilarari, grandeſcere, recreari; patere me hoc velut hoſtimento diligenter prouidere, ne poſſim abs te tardum nomen

appellari; patere denique, vt frequentioribus tuis ad me literis & ingenti meo dolori leniens quoddam remedium in hac quæsiuisse & fœneratam gratiam videar, nec frustra quidem ambiuisse, vt enim primùm summæ humanitatis, sic postremum facundioris tuæ mentis, doctrinæque ac eloquentiæ mihi quàm amplissimum semper erit testimonium. Vale & quo fine sequentem orationem ad te transmiserim, diligenter perpende, Parisiis 26. Septembris 1627. Tuus omni nexu & copula Gabriel Naudæus Philiatros.

XVI.

Doctissimo Viro Domino Ioanni Colle, Medicinæ Practicæ Professori Primario.

Patauium.

CONsilium meum sæpiùs ad te

te ſcribendi, Profeſſor doctiſſimè, nolim exiſtimes voluntate aut negligentiâ intermiſſum fuiſſe, cùm tua communis in omnes, ſed in me verè dicam ſingularis beneuolentia, tam potentes amoris in te mei & obſeruantiæ non vulgaris igniculos accenderit, vt priùs ipſe mei oblitus quàm gratitudinis tuæ non memor, priùs in me ipſum ingratus quàm tuorum beneficiorum cultor negligens & non gratus extiterim; ſed quæ plurimùm bonis conatibus obeſſe ſolet, negotiorum variis de cauſis quotidie ſuccreſcentium atque vrgentium moles & permoleſta copia, hæc eadem ſola in cauſa fuit, cur per totum illud tempus a diſceſſu meo nihil ad te literarum dederim. Quare hoc abs te imprimis obni-

xè peto,vt si qua fortè animo tuo obuersata est diuturni silentij mei ocasione indigna prorsus gratissimæ tuæ in me voluntatis recordatione suspicio,eam quamprimùm exuas,& illud totum quod absque mea culpa hac iure peccatum est, non difficulter indulgeas ; ita enim sors mea & rerum conditio tulit, vt vix dum exarescentibus lacrymis & deterso situ ac squallore, quem ex Patris mei jactura contraxeram , quæ paulò ante reditum meum in hanc Vrbem, proh dolor ! acciderat. Compositioni & editioni consilij cuiusdam de instruenda Bibliotheca, quod sub illustrissimi Præsidis Henrici Memmij Domini mei & fauitoris colendissimi nomine publici juris factum est, continuò mihi fuerit incumbendum. Nec

multò

multò post ea sese obtulit publicè dicendi & differendi in Medicorum Scholis occasio, qua nec illustriorem desiderare ambitiosissimus, nec difficiliorem seligere laboriosissimus, & ad orandum paratior quilibet alius vnquam potuisset. Hæc autem erat Bacchalaureorum, qui post obitas non segniter in Iatrico puluere Concertationes, ad pileum & lauream promoueri debent, singulis duobus annis fieri consueta Panegyris, & quæ fors tunc decem Orationibus absolui debebat, instituta laudatio, quam (absit verbo inuidia) sic ad Medicorum omnium gustum & palatum exegi, vt propter erutas in majori oratione Scholæ Medicæ Parisiensis intactas & ignotas à quingentis annis antiquitates; illa postmo-

dùm eorum iussu & auspiciis prælo demandata sit, ut quæ multorum aures inter recitandum detinuerat, omnium tandem oculis faciliùs subjici, omniúmque manibus diutiùs inhærere & detineri posset. Nunc verò desiderarem magnopere, vt qui me tamdiu de me ipso, déque meis laboribus & libris dicentem, quæ tua est humanitas, beneuolè sustinuisti, horum etiam Exemplaria quædam accipere posses vt quemadmodū,

Vulnus Achilleo quæ quondam fecerat hosti.
Vulneris auxilium Pelias hasta tulit;

Pari iure hæc opuscula, quæ mihi occasioni fuerunt, ne citiùs ad te scriberem, tempestiuè & ex propensæ voluntatis affectu tibi oblata, officiorum meorum cunctati o-

ctatione exulceratum iure merito animum tuum delinirent, téque iucundissimæ consuetudinis tuæ fructum neque apud ingratum hominem, neque apud ignauum illius æstimatorem collocasse significarent, sed quo me transuersum agit, hæc culpæ deprecatio? in quod & quale vitium ducit me vitij fuga? quasi verò peculiaris ille candor in cæteris accersitus, in te verò genuinus & natiuus, quasi summa illa quâ cunctos complecteris beneuolentia & arcto fœdere sociata cum conditione prorsus admirabili morum comitas, non omnem asperitatis nęvum respuat, non omnem pacati animi atque multùm facilis & indulgentis naturæ gratiam in se complectatur & retineat. Tua certè maior est probi-

tas & assiduo cæterarum virtutum vsu obfirmata mansuetudo, quàm vt quidpiam subirati in me tui animi suspicari possim; mea autem procliuior in te obseruantia, quàm vt illi satis obsequar inani quodam verborum choragio. Quare fac deinceps, si me amas, bellum gloriæ, Colle, vt ex literis tuis hanc laudem cumulatè percipiam, quæ semper ingenuis adolescentibus & optimis quibusque ex summorum virorum cultu & familiaritate non ingrata, nec inutilis solet aduenire, & incredibili cupiditati, qua teneor de rebus tuis audiendi. Hoc tribue quod, de Medicina Astrologica, de Doctorum hominum ad te literis & quæsitis, de Doctissimis tuis in Hipocratis librum περὶ ἰατραστρολογίας Commentariis, quid

quid actum fuerit diligentiùs inquiro; vellem enim omninò, vt egregia illa volumina in medio Musarum sacrario, ipsáque æternitatis ara extremo tuo & summo conatu industriæ, laboris atque judicij exarata, non secùs à nostræ gentis hominibus, imò verò ab omnibus efferri possent & iactari, ac reliqua operum tuorum quæ felicibus auspiciis iampridem emissa,

Nectunt victrices circum tua tempora lauros.

Feceris igitur rem te, id est homine beneficentissimo dignam, si me de his & de rebus aliis, in quibus opera mea tibi necessaria esse possit, per epistolas monueris, vt nihil deinceps quod ad declarandum meum erga te animum pertineat, prætermittam,

& quàm fieri poterit vtiliter negotiorum tuorum non minùs quàm lucubrationum curam geram. Vale. Parisiis die 20. Octobris 1628. Tuo nomini æternum addictus Gabriel Naudæus. Si vestra Excellentia curauerit imaginem suam ære celari, rogo vehementer, vt cum Responsione qua me dignaberis, vnum ex Iconibus accipiam.

XVII.

Clarissimo Philosopho, Doctissimóque Medico Domino Æmilio Parisano.

Venetias.

SEmper equidem existimaui quod tu quoque sentis, Æmili Parisane, rerum amorem, mutuamque beneuolentiam haud sapienter ab hominibus dijudicari, imò nec ab ipsis sapientibus recta cum ratione æstimari ex hoc vulgari

gari literarum officio, quod Tabellariorum incuria, negotiorum mole, temporum iniuria interturbari vel minimo negotio potest; altius est & potentius quoddam amicitiæ inter ingenuos & literatos viros semper obfirmatæ vinculum, quod nec locorum distantia remittitur, nec longa temporis intercapedine laxatûr; sed toties obfirmatur votis quoties non confirmatur officiis, tamdiu ipsa voluntate se sustinet! quamdiu facultate non prævalet, sed quorsum hæc miraberis forsan, Subtilissime Parisane, certè non eò tendunt vt negligentiæ vel obliuionis culpam deprecer, aut veniam in re turpissima mihi condonari velim, neque enim is sum qui non animo magis quàm oculis Amicos

geram, qui præcellentes viros, & omnibus Diſciplinarum virtutúmque luminibus illuſtres, meis nugis & leuibus ſcriptiunculis non audacter interpellem, qui te beatiſſimæ ingenij vbertate florentem, ſubtiliſſima per nouas cogitationes mentis contentione ſupra doctiorum ſpes enitentem, ipſa memoria pariter mira atque olim fideli vigentem, morúmque ſingulari comitate & integritate prope diuinum, non ſummopere deſiderem, inter nobiliores amicos conſeruare, quod honori inter doctiores Præceptores recenſere, quod vtilitati inter Philoſophos præſtantiores purpuratóſque ſalutis humanæ Principes referre, quod incredibili propemodum voluptati mihi futurum eſſe, non certiùs ego, quàm tu, vt arbitror, ſatis

ſatis ipſemet noſti, ſed cùm nominis tui memoriam, & beneficiorum, quibus me cumulatum eſſe voluiſti, recordationem, tanti ſemper apud me fecerim, quanti quiſquam alius rem maximam facere poteſt, certiorémque me reddat amicorum, qui nunc apud vos degit, ſuauiſſimus Dominus Laigneau; illuſtriſſimi fortiſſimíque Ducis, Domini de Candale a Conſilijs, valetudinis prius, nihil literarum, quas ad te ſæpiùs deſtinaui, perueniſſe. Equidem arbitratus ſum hac communi amicitiæ lege, tuam eſſe mihi retinendam cum particularibus officiis vix bene potuerit conſeruari, habeo enim prorſus quod fatis meis imputem, aut verius, quod eiuſmodi Tabellariorum difficultatibus & impedimentis cauſæ ineæ ſtatum inui-

tus submittam. Et quamquam grauiter satis atque iniquo animo tulerim, diuersis occupationibus eripi mihi facultatem sæpiùs ad te scribendi, longè tamen grauiùs extitit, te quas non ita frequenter scripserim rariùs accepisse, imò permolestum fuit nullas adhuc recepisse, cúm trinas saltem religionis in te meæ & obseruantiæ testes locupletissimas diuersis, sed quod fateor, difficilimis iam & exulceratis temporibus ad te destinauerim, quemadmodum & postremam hanc licet non certiori via adhuc transmitto, vt si qua sors melior eam ad te detulerit, & de priorum iactura admoneat & me ab ingratitudinis labe vendicet, quam vt nimisquam exercere apud ignotos, ita apud amicos cane peius & angue

angue ſtudui ſemper deuitare. Quare velim omnino exiſtimes, Doctiſſime Pariſane, me nihil aliud in votis habere, niſi vt ita mihi optata contingant, ita me bene ament Hygria & Panacea, ita mihi aſpiret blandior Heliconis aura, quemadmodum memoriam clariſſimi tui nominis altiùs impreſſam, ſensúmque candoris eximij, quo me aduenientem excepiſti, manentem fouiſti, abeuntem ſuauiter proſequutus es, medullitus apud me defixum colui diligenter, & crebris vſurpatum Sermonibus, hac laude quantum in me fuit exornaui, qua nec maiorem deſiderare ſingularis animi tui modeſtia, nec illuſtriorem excogitare potuit mea in te haud vulgaris beneuolentia. Quod ſi nihilominus aliud etiam

in votis habere mihi per te liceat, illud imprimis erit, vt postquam singulari tua virtute, hoc labore tam arduo, tamque difficili & impedito nobilium exercitationum de subtilitate & de materia cœli deffunctus es, quid jam pares, quid moliaris, quæ te curæ exerceant, subinde me moneas, hoc enim non ego cupidiùs scire aueo quam faciunt in hac amplissima ciuitate tot augusti Medicinæ proceres, tot viri graues & eruditi, qui nihil a te nisi perfectum ingenio & summa elaboratum industria expectandum decernunt. Rumpantur licet & crepent nonnulli Cleones, alieni nominis obtrectatores, sui decoctores seu mauis chilstarchi, quos si me non solùm audis, sed qui me ipso sapientiores, hic degunt prope infinitos, animo tran-

quillo & pacato flocci facies, scilicet vt quos velut ab omni humanitate deficientes ratio manifesta non docet, non vincit, non comprimit, velut panniceas Baucides aut rixantes meretriculas despectus ipse compoſcat. Demum ex venia quam mihi ſemel fecisti, postremum illud veterum adjiciam, vt libellos quoſdam, nuper a me publici iuris factos, conſilium videlicet de instruenda ordinatim Bibliotheca, & Panegirim de antiquitate & dignitate Scholæ Medicæ Pariſienſis, aliqua mihi daretur occaſio ad vos tranſmittendi, quibus & propenſum in te meum animum agnoſceres, & eos a te probari aut me in illis admoneri, vt honorificentiſſimum mihi, ita & gratiſſimum fore tibi certò perſuaderes. Quod vt interim tibi perſuadeas méque fo-

uere & proſequi pergas enixè velim. Lutetiæ die 23. Martij 1629. Tuus ad omnia paratiſſimus Gabriel Naudæus Philiatros.

XVIII.

Clariſſimo, Sapientiſſimóque Viro Domino D. Æliæ Diodato.

Genuam.

VIri hac ætate Philoſophorum Principis Cæſaris Cremonini ſuſceptos ingenti animo & felici conatu pro Ariſtotele labores, diuinúmque in aſſerenda veritate judicium, quanti ſemper feceris Clariſſime Diodate, vt neminem tuorum amicorum certè meipſum latere non potuit; quem pro tua ſingulari in omnes ſtudioſos humanitate, vix pubertatis annos emenſum, peculiari delectu & in eorum cenſum adlegiſti, & in

&in Herculis biuio ſtantem atque hoc in ætatis flexu, in quo, vt ſapienter monuit Marcus Aurelius Imperator, *qui non cadit, titubat*, conſtitutum, ſalubribus præceptis ad hunc vitæ callem ingrediendum, qui me tibi quàm ſimillimum efficeret, ſæpiùs es cohortatus, & quo omnem humanitatis & beneuolentiæ rationem in me expoliendo adimpleres, totum te mihi ad vitæ & morum exemplar exhibuiſti, mentem & cogitationes tuas aperuiſti, non vulgaris doctrinæ theſaurum recluſiſti, halitus etiam & affectus tibi proprios fermè omnes infudiſti, vt ſi te meum Socratem non agnouerim, Mortalium omnium jure videar ingratiſſimus, adeo quæcunque hic in Alcibiadem aut Phædonem, tu ſapientiſſime Diodate,

in meipsum contulisti. Verùm quàm longè ab hoc ἀχαριστίας crimine sim alienus, toties opinor patebit imposterum, quoties non mediocribus votis exoptata mihi sese offeret occasio, recensendi in amicorum circulis, aut referendi inter publica monumenta, nobiles tuas de præclaris quibuscunque rebus exercitationes, dictáque, Oraculorum instar, æternitati consecranda, circa tot támque discrepantes inter se Philosophorum opiniones, exerentes se de nouo tot egregias artes, excultam magis quàm antea naturæ, morúmque disciplinam, & rerum omnium certas vicissitudines, fatalesque & Regnorum sic Scientiarum periodos, de quibus te, non vt fictitium Iarcham Apollonius ex Tantali fonte, sed ex intimis,

mis, altissimisque Sapientiæ penetralibus, incredibili cum voluptate sæpiùs audiui disserentem. Sanè iuuat imprimis eorum meminisse, quæ priusquam alteruter nostrûm Italiam cogitasset & maximum illum Philosophiæ Genium Cæsarem Cremoninum salutasset, de eius studiis & recta, hisque temporibus apprimè necessaria philosophandi ratione ex tuis confabulationibus memoriæ commiseram. Enimerò quemadmodum tunc loquebaris, quis hunc senem videre magnopere desideret, quem velut in Scientiarum vertice collocatum Mortales reliqui mirantur & suspiciunt? quis non audire? quem summi potentissimique Reges Henricus IV. & Iacobus I. de rebus grauissimis per suos Oratores, Politicorum

ſapientiſſimi Veneti per ſuos Senatores, multi alij Principes per ſeipſos frequenter conſuluerunt? quis demùm non amplecti? quem ſuauiſſima vitæ conſuetudo, morum candor, & actionum omnium comitas, vt quàm beatiſſimè inter ſuorum amplexus, honores & officia, externorúmque delicias, amores ac deſideria, vixerit, vtinámque diutiſſimè viuat effecerunt. Sed quanti præterea faciendum eſt, pectus illud magnæ mentis domicilium? quanti meus hæc præclara, ſublimis, excelſa, fortis & verè Philoſophica? quæ velut Aquila ſemper in altum contendit & ſupra pluuias, ſupra nubes & tonitrua, ac ſupra id omne quod mortale, eſt pennarum remigio erecta, in quodam puriori æthere ſuſpenſa conquieſcit,

eit, humanósque casus sua virtute aut inferiores putat, aut seipsis longè superiorem ostendit; deinde verò quanta cum dignitate munus illud docendi, quod maximi Piccolominei virtus emerita istius sæculi vertentis initio deseruerat, hactenus sustinuit? quanta cum voluptate, cum fructu, imò etiam cum vberiori manifestatione studiorum progressus, Aristotelem legit, explicuit, defendit; tanta profectò & nominis sui dignitate & aliorum vtilitate hoc vnus ille præstitit, vt grauissimam Aristotelis doctrinam, doctissimámque eiusdem grauitatem, vel omninò, vel saltem quàm proximè videatur assecutus, nec enim officij vnquam tui esse, aut quidquam ad se pertinere arbitratus est orationis api-

labiis retinere, nec tam verborum luminibus quàm rerum sublimitatibus inhærere; vt quemadmodum de Sirenis Alcibiadis dictum est, *extrinsecus si aspexeris, feram videas, si introspexeris, numen agnoscas*, & scitè admodum ac eleganter monuerit ingeniorum vertex Picus Mirandulanus, *ô delicate cùm accedis choraulas & citharœdos pone te in auribus, cùm verò Philosophos auoca a sensibus, redeas ad te ipsum in animi penetralia recessus.* His igitur persuasus magnus ille Cremoninus, quid Murium addebas? si non orationis character eum floridum, vernantem, picturatum, fucatumve elegit, sed vtilem, grauem, reuerendum & qui majestatem potiùs ex horrore quàm gratiam ex mollitudine consequatur, quique sub

expositis verbis remotissimas sententias inuoluat, plenas quæstionum, plenas solutionum, & hanc omninò dicendi legem nobis proponat, quam & Medicorum Princeps Galenus non parùm laudauit, & ipsemet, tanquam Philosophorum maximus, suo satis exemplo confirmare, atque doctrinæ suæ præstantia, ab occultis inuidorum susurris & ineptis mussitationibus tueri ac defendere potest. Nam amabo te, subjungebas, mi Naudæe, quis vno Cremonino absolutiùs proponit? quis euidentiùs narrat? quis apertiùs docet? quis efficaciùs confirmat? quis acriùs refellit? quis neruosiùs colligit? Deus bone! qui lacerti? qui vigor? quod pectus? quanta caussæ fiducia? nusquam cessat, nimisquàm jacet, nimisquàm resti-

tit, nimiſquam dormitat, ſed vbique properans ſequacem obtemperantémque lectorem monet, ducit, rapit, ſuadet, perſuadet, verùm aliud eſt præterea, cuius mihi nunc in mentem venit, & ex quo nobilioris longè commendationis argumentum magno Cremonino deberi, eúmque præſtantiori modo, quàm reliquos omnes Philoſophos, de Sapientia mereri, ſæpius apud me contendebas; etenim cum vniuerſarum opinionum æſtu luxuriante actum jam, conclamatúmque de Philoſophia videretur, & hinc Teleſius Parmenidis doctrinam inſtauraret illinc Patricius Platonicorum fumos ſublimaret, hînc Gilbertus Philolai dogmata erueret, illinc Iordanus Democriti principia defenderet, omnes ve-

rò conjuratis & collectis viribus vnum Aristotelem furti, peculatus, ignorantiæ accusarent, reum fingerent, ad supplicium poscerent, ad ruinam & internecionem raperent, vnus profectò & solus extitit Cremoninus, qui caussam eius tuendam suscepit, nauis Peripateticæ clauo firmiter se applicuit,

Puppique Deus consedit in alta,

Ex qua velut olim Neptunus tempestatem ab Æolo immissam non tantùm sedauit, sed quemadmodum Perseus pulcram suam Andromedem, hoc est, diuinam Sapientiam, non ab vno, sed pluribus monstris liberauit, primóque ab ineptorum quorundam & credulorum hominum nugis & fabulis, postmodum a Scholasticorum tricis & affaniis, tandem verò

verò ab omnium nouatorum calumniis eam asseruit & vendicauit, non tam singulorum ineptias, errores & objectiones refellendo, quàm summi Præceptoris dictatorisque mentem aperiendo, doctrinam explicando, dogmata præcipua & effata illustrando, eáque firmissimis rationibus stabiliendo, confirmandóque,

Vnius addictus jurare in verba Magistri,

Tantáque animi contentione in illud vnum sibi incumbendum esse existimauit, vt nusquam alibi meliùs, quàm in eius scriptis vera genuináque Peripateticorum doctrina exhibeatur & graphicè delineetur, nusquam etiam aliunde tutiùs quàm ex eius libris doctissimisque commentariis hauriatur; vt si quàm profectò laudem

a nobis conſecuti ſunt vel Alexander Aphrodiſeus apud Græcos, vel Auerroes Cordubenſis apud Arabes, eandem omnino ſperare debeat a poſteris Cremoninus apud Latinos, & hoc nomine tertius ſaltem in eorum claſſe recenſeri mereatur, qui peculiari cultu ac religione Ariſtotelem coluerunt, quandoquidem ſola vetuſtatis lege cautum eſt, ne primus inter ipſos habeatur. Hæc autem & ſimilia cùm pluribus vrgere non ceſſares, factum eſt tandem, Suauiſſime Diodate, vt præſentis ipſius Numinis conſpectu, amplexu & quotidiano fermè conuictu, ipſe quidem omnia in illo tua prædicatione & expectatione majora eſſe didiceris, ego verò te nec leuem, nec adulatorem, nec extra meritum quidquam

quam rebus affingentem depræhenderim, & quod maximo mihi ſolatio fuit ac voluptati, haud minora ab ipſo de te, quàm a te de ipſo audiuerim, cùm ille te in oculis continuò præſentem gerat, & gratiſſimæ conſuetudinis recordatione non mediocriter oblectetur. Quamobrem facturum me ex officij mei ratione impræſentiarùm ſum arbitratus, ſi Tractatum de ſemine, cuius copiam poſt meum é Patauio diſceſſum amico meo ſingulari, Domino Forget Doctori Medico, cæteriſque Auditoribus ſuis fecit, & quem velut librorum de principatu cordis conſectarium ſapientiſſimi doctiſſimique Præceptores & Amici mei, Dominus Ioannes Riolanus & Dominus Renatus Moreau typis demandatum iri

vehementer exoptant, tibi velut Apollini Palatino & amantissimo literatorum omnium reliquos solitus es, beneuolentia suscipias & per me tandem intelligas, haud frustra vel tenui mercede sumpsisse te hanc Viros probos & de literis bene meritos laudandi, fouendi, extollendique prouinciam, cùm inde & bonorum gratiam & non mediocrem gloriam ac commendationem ab omnibus sis consecutus, majorémque in dies te consecuturum sperare possis & debeas. Vale Lutetiæ Parisiorum, 25. Augusti 1629. Tuus ad omnia Gabriel Naudæus.

XIX.

Clarissimo Philosopho, Doctissimóque Medico, Æmilio Parisano.

Venetias.

TVrbata rerum apud vos facies,

cies, & diuturnum Amici illius communis, qui posteriores meas tibi reddidit, silentium, in causa omninò fuere, Subtilissime Parisane, cur gratissimis & expectatissimis tuis literis haud pari cum diligentia a me satisfactum fuerit, qua vel amicorum etiam de triuio nugacibus Epistolis semper respondere consueui, tantum abest, vt hoc, quod erga te, virum & mei amantissimum, & inter peritiores Medicos principem, hac in cessatione peccatum est, voluntati meæ potiùsquàm bellorum & tumultuum occasioni acceptum referre debeas; & verò longè pluria ad istud tibi persuadendum facili negotio prætexerem, nisi quemadmodum tu me ab omni culpa longè vacuum arbitraris, sic ego te ab eius vel

minima ſuſpicione prorſus alienum iudicarem. Sanè quantumuis longum tempus ab eo, quo tua illa, de qúa nunc agitur, mihi reddita eſt, effluxerit, recentem tamen eius memoriam apud me etiamnùm retineo; licet quibus modis ex eius lectione ſim affectus, dicere vix poſſim, ſaltem ex animo exprimere non poſſim: etenim vt iſtam primùm aperui, & omnia quæ ad dextram manum occurrebant perlegi, voluptatis certè non minimum etiam percepi, ob acceptum a te viro præſtantiſſimo tam egregium, tamque luculentum propenſæ tuæ in me voluntatis & beneuolentiæ ſignum, eadem prorſus indole animi, hoc eſt ſingularis amicitiæ blandioribus illecebris & non vulgaribus officiis, quibus

me

me Venetiis & Patauij degentem peramanter complexus, & abeuntem humanissimè etiam prosecutus es exaratum. Verùm vbi ad ea, quæ sinistram implebant, oculos conieci, vultum statim contraxi, & si quod verissimum est, ingenuè fateri licet, vehementer dolui, quadricipitem illam Hydram, cui catenas & ferrum & flammas minitaris, retardare præclarissimum impetum, quoad Medicinæ pomeria, maiori, quàm antehac a quoquam tentatum fuerit, conatu promouenda, ferebaris: tèque virum de Republica nostra, si quisquam alius, optimè meritum, quem solius virtutis ardor excitat, quem dignitatis ac famæ cupiditas incondit, quem memoria posteritatis inflammat, qui nihil

otio literario dulcius, nihil doctrinis amabilius, nihil vnquam publica auctoritate prius aut antiquius habuisti, nunc ad isthæc certamina descendere coactum, quæ te prorsus iudigna videri possent, nisi qualem in iis te gerere, & quanto cum dcctrinæ apparatu velitationes eiusmodi absoluere consueueris *Par & suauium iudicium* illud tuum quod volonis instar iam apparuit, fidem omnibus faceret, vituperatio certè ac odium bonorum ægrotantis sæculi vitia sunt, quæ sufferre gloriosius est quàm tollere, & nihil vnquam extitit in natura præstantissimum quod non inuidiam & iniuriam expertum sit, a contrario Sol, quod optimè nosti, suos habuit obtrectatores, Agamemnon repræhensus est a Thersite, Homerus

merus a Zoilo, Virgilius a Banio, & non immeritò ſcripſerit Horatius, Herculem poſt tot exantlatos labores comperiſſe certamen ſibi cum inuidia ſupremum adhuc reſtare. Non igitur mirum, ſi quemadmodum fuci apibus perpetuò moleſti ſunt, ita etiam reperiantur quidam homines maleferiati, qui & peritioribus graues ſint, & cum illis paria facere contendant, quamuis eodem ſemper euentu quo rana Æſopica, quæ bovem magnitudine ſua æquare volens, crepuit & pœnam tulit ex tam inſano conatu: Verùm vt quod de tuis maſtigibus cenſeo tandem eloquar, certè præter quoſdam συκίνους & ignobiles, de quibus οὐδεὶς λόγος non magis ſanè quàm de Megarenſibus, quos ἐν οὐδένι ἀριθμῷ ponit Oracu-

lum, duos ex illis, ſaltem quos nouerim, non indignos eſſe iudico, cum quibuſdam conſeras & fortiter dimices, quandoquidem ipſi non caſu,ſed altioris cuiuſdam prouidentiæ conſilio aduerſari tibi videntur, quo velut ex ſilicibus ignis, ita ex nobili veſtra concertatione micantes conditionis ſcintillæ & ipſa tandem clariſſima veritatis lumina eluceſcant, ac niſi mea vehementer me fallit opinio, illud tibi in ſapientiæ venatione, quod optabat quondam egregius iuuenis Aſcanius in ferarum indagatione contigit, ille ſiquidem venatum in ſyluas proficiſcens non timidos lepores nec imbelles Damas aut fugitiuos Ceruos, ſed quemadmodum inquit Virgilius,

Optat

Optat aprum aut fuluum descendere monte leonem.

Quamobrem in hac tanta consternatione & ingenti dolore, quem ex interrupto speculationum & subtilium ac nouarum cogitationum tuarum cursu, antea conceperam, illud certè non minimo mihi solatio esse potest, téque etiam vehementer, vt arbitror, reficit & recreat, quòd ambo isti æmuli & obtrectatores tui tales sint, vt ex eorum victoria gloriam illam sanè non mediocrem, quam nobiles Exercitationes de Subtilitate tibi compararunt, ampliorem omninò & auctiorem, augustiorémque reddere possis & valeas; atque adeo vt de Mundino Mundinio taceam, quo cum assuetus es dudum & pugnare & vincere: Certè Riola-

Amici, quàm Iudicis munere defungar & illud ambobus tribuam, quod neutri iure merito denegare non possum; quamquàm, vt ingenuè fatear, in hoc grauiter peccasse mihi videatur Riolanus, quod παῤῥησίαν illam, qua de libris eius iudicasti, contumeliosis verbis & nihil minusquàm Professorem Regium, qui in optimis literis & laudabili Medicinæ studio consenuit, redolentibus exceperit, vnde si æquo iure cum eo experiri & agere velles & Poëtæ cuidam hoc monenti parere,

Maledictis si quis certat, audiat malè,
Quam quis non præstet ne exigat modestiam.

Posses equidem & meditatum furorem in Theatrum afferre, & sellas Patroclianas & Annales

Quos vltra citràque nescit consistere rectum,

Deflexerit; sic enim & laudem quam mereris ab omnibus bonis referes & illud tandem ab hostibus etiam & Mastigibus tuis obtinebis, vt quemadmodum olim Ægyptij peluim auream supplices coluerunt, in quam minxerant & vomuerant frequenter, atque vt Anacreon iniqua conuitia quæ despuebat in Cleobulum & Stesichorus in Helenam, totidem laudibus repararunt, sic & ipsi non minus grauissimis conscientiæ suę testibus, quàm potentissimis doctrinæ tuæ fulminibus percussi, redeant ad bonam frugem, & tibi debitum honorem persoluant, quem apud præsentes semper illibatum retinebis, & apud posteros nunquam intermoriturum trans-

mittes. Vale Tuus omni nexu & mancipio Gabriel Naudæus die 15. Septembris 1630. Commendat se tibi plurimùm, qui me quondam Excellentiæ tuæ commendauit, doctissimus virtutis & eruditionis tuæ fautor, Dominus Renatus Moreau & impensè rogat, ne molestè feras, si pluribus iisdémque grauissimis negotiis districtus salutem, quàm tibi propria manu non potest, aliena offerat.

XX.

Pompeio Caimo, Equiti Nobilissimo, Patauii Collegij Præsidi & Medicinæ Theoricæ Primo Professori.

Patauium

NOn est profectò quod ampliùs dubitare possis de mea singu-

ſingulari erga te religione & obſeruantia, Pompei Caime, virorum omnium, quos vnquam vſpiam nouerim, eruditiſſime, poſtquam quaternas ad te variis temporibus & occaſionibus deſtinaui Epiſtolas, eſt potiùs quod ipſe non mediocriter doleam, ob interceptas poſteriores duas, quarum vnam tibi a Domino Lagneau redditam non fuiſſe, habes meritò quod grauiter cum ipſo expoſtules, ſiquidem & inſtructionem meam de fratribus roſaceæ Crucis, & Apologiam pro ſummis Viris de Magiæ crimine falsò poſtulatis, illi inſuper tibi offerendas tradideram, quod cur non fecerit, rogo vehementer vt ab ipſomet percuncteris & me in totum a culpa liberes; altera verò periit in itinere cum

ſarcinis cuiuſdam Lotharingi cui Dominus Forget illam meo ſuaſu commiſerat. Faxint igitur Muſæ quarum te velut Apollinem ſuſpicio, vt fauentioribus Euris aut potiùs Veredariorũ equis iſthæc poſtrema trans Alpes deferatur, quam vel difficillimis etiam iſtis temporibus eo potiſſimùm nomine ſcribere volui, vt me quem ſemel aureis delinificæ facundiæ tuæ catenulis irretitum eſſe voluiſti, & eruditionis multifariæ potentioribus etiam vinculis implicitum, iiſdem adhuc detineri, vinctumque manere & ad omnem obſequij rationem paratiſſimum eſſe cognoſcas. Certè quod vnicum in præſentia mihi ſuppetit propenſæ meæ in te voluntatis ex nominis tui commendatione teſtimonium, illo me libenter abſol-

absoluo, nec vnquam per me stabit quominus illud notum & illustre reddatur vt vbiuis gentium, sic maximè apud nostrates Gallos qui de mea prædicatione non ampliùs dubitant postquam apparuerunt scriptorum tuorum quibus videris Medicinam tanquam alteram Euridicem ab Inferis reuocasse, elegantissima & doctissima monumenta, scriptorum inquam de febrium indicationibus & de Calido innato, quæ sola si talem de te spem & expectationem concitarunt, qualem vel ambitiosissimus quisque vix sustinere posset, quid fiet, amabo, te cùm illa quæ de ingenio dudum vernaculo sermone edita fuisse ab amicis accepi, aut alia innumera quæ apud te nondum edita seruátur, vel ad nos ex Fran-

cofurtensibus Nundinis appulerint, vel quocumque modo publici juris facta fuerint? Certè nihil minùs tunc quàm diuinos honores tibi auguror, qui primis tuis laboribus & scriptis humanũ fermè cultum excessisti, & herclè tu iam tantus videris in Republica non solùm Iatrica sed etiam literaria, vt famam suam egregiè promoueat quisquis tuæ fauet & benè cupit, qui verò te dignis laudibus non effert, is judicio & existimationi suæ non minimùm detrahat. Sanè quantum ad me attinet, ego de te tam libenter vbique prædico, vt nihil vnquam a me maiori cum voluptate factum meminerim non solùm quia vt Polemo inquit multo est dicere quàm audire vera jucundius, sed etiam quod ex humanioris & vrba-

banioris vitæ præſcripto plurimùm ſemper loqui debeamus de his quæ in Amicis noſtris præcipua & omni laude ac commendatione digniſſima videntur, in te verò doctrinam eſſe depræhenderim quæ reliquis naturæ & fortunæ bonis, quibus tamen abundè cumulatus es, longè ſupereminineat. Sed quid in hac dicendi occaſione tempus fruſtra conſumo? quæ nec tibi grata eſſe poteſt ob ſingularem tuam modeſtiam, nec forſan alteri jucunda ob dictionis meæ infantiam & aſperitatem, ſatius erit, arbitror, paucis tecum de iis agere quæ magis ad Epiſtolam ſpectant, tum verò imprimis de Iacobo illo Carpentario, cuius Commentarios in Alcinoum cum mihi inſtructiſſimam tuam Bibliothecam euoluenti

non mediocriter commendasses, factum est postea vt inter illa tua Effata & Oracula quæ multis libenter recensere consueui, Dominus Carpentarius Doctor Medicus Parisiensis illud quod de auo tuo & eius commentariis summa cum veritate & eloquentia protuleras, auida aure ebiberit & obnixè postea non semel rogarit vt illud per literas a te verbis solemnibus conceptum elicerem, quo tua auctoritate, quæ semper illi maxima fuit, Crestomathiam illam munire & illustrare posset, quam ex aliorum celebrium virorum similibus encomiis & appellationibus honorificis in aui tui commendationem quotidie colligit, atque propemodum est etiam vt in lucem emittat. Quamobrem rogo te vehe-

vehementer, Pompei Maxime, vt responsionis quam ad me per manus Domini Lagneau amici nostri communis facili negotio destinare potes, partem aliquam faciat iudicium illud tuum de Carpētario, nam & illud Amico meo pergratum erit, & mihi certè non ingratum accidet, qui hactenus sementem feci absque messe & fortiter etiam pulsaui, nemine prorsus respondente; quare si quando postmodū fiat vt seriùs ad te scribam, caue tribuas hoc negligentiæ vel obliuioni, ac ne occupationibus quidem plurimis, quibus distineor, sed illud tibi potiùs persuadeas me quoque tuarum interea desiderio teneri literarum, quarum beneficio si semel cognoscam gratum & acceptum tibi ad illud meum officium non committam profectò vt

istud frustra imposterùm desideres. Doctissimus Dominus Renatus Moreau qui me tibi plurimùm olim commendauit, vix liberè spirat, adeò premitur ægrorum multitudine & licet molestè admodum tulerit se nullam accepisse responsionem ad hanc quam tibi per Dominum Lagneau vnà cum Commentariis suis in Scholam Salernitanam reddi curauerat; mandauit tamen suo vt te nomine salutarem, rogarémque videres qua in re suum studium atque operam tibi putes esse necessariam. Addam præterea verbum de Panegyri mea, in qua de Antiquitate Scholæ Medicinæ Parisiensis abundè disserui, ac etiam de duobus aliis libris non latinè sed vernaculè scriptis circa methodum struendæ ordinatim Biblio-

bliothecæ & eruditionem Ludouici XI. quos tres breui procul dubio acciperes ſi quem nanciſceremur qui illos ad te tutò deferre poſſet, ſed nôſti quàm rarenter peregrinæ aues nunc ad vos tranſuolent, & ſi quæ poſtea caſu ſe offerat ſcito me huic officio minimè defuturum. Vale Pariſiis die 15. Septembris 1630. Tuus vt affectu ſic effectu Gabriel Naudæus.

XXI.

Nobiliſſimo, Doctiſſimóque Viro Domino Ioanni Colle Medicinæ Practicæ Profeſſori primario.

Patauium

EN alterum adeſt gratitudinis & propenſæ meæ in te voluntatis atque obſequij certè non vulgaris teſtimonium, Ioannes Colle, Amicorum meorum ſuauiſſime,

quod si æqui bonique consulueris, rem profectò facies & mihi quidem jucundissimam, & moribus tuis ad omnem comitatis & beneuolentiæ rationem compositis prorsus non indignam, cùm nihil aliud in mea potestate situm sit, quod tam prolixæ humanitati tuæ & sine exemplo maximæ respondere possim, præter gratam illius in animo meo recordationem & beneficiorum, quæ ab illa non semel sum expertus, frequentem aut in literis aut in Amicorum meorum circulis & coronis commemorationem: Et verò cùm antiqua Majorum Stemmata summæ doctrinæ & amplissimæ dignitati tuæ raro ac felici nexu conjuncta te in eorum beatissimorum hominum tribu constituerint, quibus nihil a natura denegatum neque

a for-

a fortuna non cumulatissimè delatum est, ineptè omninò facerem si me quem aliter non esse soluendo optimè nosti, verbis saltem ex ære tuo non liberarem, vt si quantum mihi difficile sit non ignorem, ea vel literis aut sermonibus illis exprimere, quæ non tantum de tua singulari doctrina, sed & de humanissimis moribus tuis & præsens cùm illis fruerer & absens dum eorum suauissima recordatione delectarer, sanè quam amplissima & augustissima Amico meo concepi, atque cum deesset omnino quod scriberem, & inani te Epistola interpellare nollem mihi tamen ea satis idonea ad te scribendi causa visa est, vt existimes nullis vnquam in literis meum in te animum atque amorem satis fieri posse testatum,

tantus siquidem est vt de illo magis ex teipso & ingenij tui dexteritate quàm ex oratione & infantia mea te iudicare summopere desiderem, quod sanè si tibi persuasum est, nihil amplius habeo quod me oporteat ad te scribere; libros tamen tuos de jucunda Medicamentorum præparatione & de insomniis quos vltimis Nundinis accepimus, majori nescio cum voluptate an fructu legi, atque ipsi, tales profectò non tantùm mihi sed & Domino Renato Moreau & aliis doctioribus Medicis visi sunt, quorum frequens & continua lectio magnam allatura sit cum ingenti nominis tui commendatione Reipublicæ Medicæ vtilitatem, sed illud præterea in ipsis mihi gratissimum fuit, quod expressum candoris tui vestigium in com-

in commendatione Amici nostri, communis Domini Dellane reliqueris, ex qua vt omnes de illius eruditione & doctrina sic de tuo in homines literatos affectu & amicos præsertim singulari beneuolentia conjecturam facere possint & debeant. Sed vnum est profectò quod me non mediocriter angit & perturbat ex quo Mantuam a Germanis expugnatam, omniáque in ea ferro ac flammis sæuientibus permissa fuisse accepi, & obsecro qui aliter fieri posset? cùm virum hunc præueritum mei certè non secus ac tui propter doctrinam & candidos mores amicissimum tantæ vastitati testem adfuisse, & fortè an cum aliis immerentem succubuisse crebris ad nos rumoribus (sed qui vtinam falsi reperiantur) disseminatum sit, ô

quoties ferulis istius cladis Romanæ mihi in mentem venit, quæ Duce Borbonio literatos fermè omnes qui tunc in vrbe degebant aut crudeliter oppressit, aut istis calamitatibus obruit, quæ licet maximæ fuerint, non possunt tamen cum extremis quæ Mantuanos Vates & Academicos diutissimè exercuerunt comparari, vt non licebit illis atque vobis etiam qui ab hac direptione & sanè quàm vehementi & molestissima armorum turbatione prorsus immunes non fuistis Virgilianum istud vsurpare,

Mantua væ miseræ nimiùm vicina Cremonæ?

Quare magna solicitudine me liberabis, magnámque a me inibis gratiam si quod tibi perspectum atque exploratum est de præ-

præſentis iſtius vrbis & Academię, ac potiſſimùm amici noſtri communis ſtatu mihi quoque volueris eſſe non ignotum, ſed & illud inſuper ſi me amas, ſcribe vt valeat Φιλοσοφώτατος κὴ Ἀριστοτελικώτατος Cremoninus, vt librorum ſuorum editioni incumbat, imò verò quid ipſe agas, quid componas & quid nuper edideris mone, nam vtrumque me ignorare in hac literarum clade & itinerum difficultate non indignandum eſt. De me verò ſi quæras, ego varia quotidie muginor, & libros quoſdam compono, multos etiam edo, quorum Iudicem habebis a Domino Lagneau donec omnium exemplaria a me ipſo accipias, nam cùm eiuſmodi ſtudia quibus me hactenus exercui, περὶ τὰ ἄλφιτα non

faciant, & multa sint, eaque grauissima naturæ meæ atque ingenitæ libertati è diametro repugnantia propter quæ minus mihi arridet, minúsque conuenit laurea isthæc Parisiensis, ad vos iterum cogito, nec aliud expecto quàm vt halcyones in Italia nidificent, quo me humanitati ac beneuolentiæ tuæ rursus committam & ipsis non vulgaribus amicitiæ tuæ illecebris præsens iterùm delecter, quibus me vel absentem non mediocriter refici perspicio. Hoc autem te monere volui vt certiorem me facias si quid officiorum aut librorum nostratium, quos mecum deferre possim desideres, dabo enim in omnibus operam vt necessitudine tua haud indignus judicari valeam, qui tuæ virtuti ac fidei tan-

tum.

tum tribuere debeo, quantum his in locis præterea nullius. Tu interim monimentis tuis immortalibus posteritati consule, humanum genus deuince, famę tuæ & existimationis limites extende, & me quod semper fecisti, amare perge, sed tandem Vale, ô & præsidium & dulce decus meum & amicissimo tibi Philosophorum Coryphæo silentium meum non aliunde quàm ex summa virtutis eius ac doctrinæ admiratione profectum benignus excusa. Parisiis die 18. Septembris 1630. Tuus ex animo Gabriel. Naudæus.

XXII.

Nobilissimo Viro Domino D. du Pré Caussinij Domino, Gabriel Naudæus S. P. D.

Caussinium.

ETsi mihi nunquam fuit dubium quin singulari affectu duceeris; cùm me toties verbis blandioribus & ad persuadendum ritè compositis ad amœnissimas ruris tui delicias inuitasti, atque etiam non semel incredibili lætitia fuerim affectus propter singularis illius beneuolentiæ qua me semper prosecutus es tam egregiam tamque luculentam testificationem. Quisquis tamen tuum candorem non nouit, arbitrari jure merito potuisset has voces, phaleras fuisse nugas, & officiis, quæ sibi mutuò deferunt homines accommodata potiùs

ex vsu

ex vſu lenocinia, cùm ecce tot precibus & votis cumulus acceſſit, Epiſtola tua tota ductilis erotundata veneribus depluens, nec minùs amoris & comitatis præ ſe ferens quàm gratiarum venuſtatis & eloquentiæ, quibus vt te virum diſertiſſimum & mei etiam amantiſſimum eſſe ſatis patefeciſti, ſic duram profectò legem mihi impoſuiſti, qui neque poſſum ad te proficiſci propter nonnulla grauiſſima negotia, quæ me hûc affixum detinent, neque etiam non proficiſci propter hamatas illecebris aut potiùs armatas votis non vnas rationes queis hoc vnum a me contendis obnixè & efflagitas. Vtar nihilominùs ea libertate, qua me ſemper donatum eſſe voluiſti, & obſequium quod omninò præſtare deberem

XXII.

Nobilissimo Viro Domino D. du Pré Caussinij Domino, Gabriel Naudaus S. P. D.

Caussinium.

ETsi mihi nunquam fuit dubium quin singulari affectu duceceris; cùm me toties verbis blandioribus & ad persuadendum ritè compositis ad amœnissimas ruris tui delicias inuitasti, atque etiam non semel incredibili lætitia fuerim affectus propter singularis illius beneuolentiæ qua me semper prosecutus es tam egregiam tamque luculentam testificationem. Quisquis tamen tuum candorem non nouit, arbitrari jure merito potuisset has voces, phaleras fuisse nugas, & officiis, quæ sibi mutuò deferunt homines accommodata potiùs

ex vsu

ex vſu lenocinia, cùm ecce tot precibus & votis cumulus acceſſit, Epiſtola tua tota ductilis erotundata veneribus depluens, nec minùs amoris & comitatis præ ſe ferens quàm gratiarum venuſtatis & eloquentiæ, quibus vt te virum diſertiſſimum & mei etiam amantiſſimum eſſe ſatis patefeciſti, ſic duram profectò legem mihi impoſuiſti, qui neque poſſum ad te proficiſci propter nonnulla grauiſſima negotia, quæ me hûc affixum detinent, neque etiam non proficiſci propter hamatas illecebris aut potiùs armatas votis non vnas rationes queis hoc vnum a me contendis obnixè & efflagitas. Vtar nihilominùs ea libertate, qua me ſemper donatum eſſe voluiſti, & obſequium quod omninò præſtare deberem

huic tam flagranti postulationi, cuicumque alteri me fideliter redditurum polliceor, si me in præsenti culpa liberes nec inurbanè factum existimes quod è re mea maximopere nunc est, a me non aliter fieri; & profectò vt cæteræ nos fortasse leges ad vrbanitatis & decori munia obstringant, lex ipsa tamen præpotens amicitiæ nos a reis eximit & cæteras leges facili negotio potest abrogare, siquidem amici suis mutuo commodis sua commoda & decora metiuntur, & inter quos vera viget amicitia nihil eiusmodi esse potest quod vni tempestiuum sit, alteri verò parum opportunum videatur. Quamobrem ego qui nusquam dubitaui, quin me vehementer amares, & qui insuper ex Epistola tua abundè &

dè & liquidò cognoui quàm altè radices egerit mutua illa pridem inter nos coalita beneuolentia, ingentes tam eximiæ tuæ humanitati gratias habeo, rogo vehementer vt me cùm propriis, tum amicorum etiam negotiis non mediocriter diſtrictum non hinc auoces aut hûc etiam euoces, vbi dumtaxat illis eſſe conuenit quos cum Lubentia, Gelaſſino, Pomona, Cerere, Baccho, Faunis, Dryadibus conſueſcere permittit ſolemne feriarum tempus atque ipſa ridentis anni autumnitas, nobis verò non licuit eſſe tam beatis, ſed vt illi qui parietem intuentur ex leui linearum ductu animalia in eo & facies ſibi fingunt, ſic nos harum rerum quæ ruri ſumma cum voluptate peraguntur futiles tantùm vm-

bras ſpectamus, nec agnum vt vos aut hœdum a ſtabulo, gallinam e corte, porcum ab hara, ſed hæc omnia a foro aut macello ægrè & carè præſtinamus, & vni tantùm lauernæ ac Mercurio litamus, quorum jam incœpta & inchoata ſacrificia vt ex ritu & ſine vlla interpolatione nobis liceat abſoluere, faxis oro etiam atque etiam, quod ſi a te impetro, id mihi tam gratum fore polliceor, quàm quod eſſe poſſit gratiſſimum. Vale Pariſijs, die 21. Octobris 1630.

XXIII.

Doctiſſimo Viro D. Petro Gaſſendo S. Theologiæ Doctori, & Cathedralis Eccleſiæ Dinienſis Canonico Theologo, Gabriel Naudæus S. P. D.

Diniam

NV diuſtertiùs cum iam veſperi accubuiſſem & variis hinc & in-

& inde repetitis cogitationibus, ficut mihi moris eft, fomno tacitus obrepenti moras necterem, venit mihi in mentem eorum omnium, de quibus fub aurora te conueneram & illius Operis maximè de vita & doctrina Epicuri, cuius te idoneum fponforem & locupletem debitorem jam pridem conftituifti. Atque adeo me oblectauit tum fufcepti iftius negotij dignitas & præftantia, tum etiam Scriptorum, quæ jam apud te circa illud parata funt, varietas & copia, vt ex injectis tam præclaro conatui, nefcio quibus remoris & defunctoriis in tam præclaro opere cudendo lucubrationibus tuis, in mœrorem certè grauiffimum, atque ex eo paulò poft in fomnum etiam fuerim delapfus: Sed quæ me vigilantem exercue-

rat, eadem me dormientem & placida quiete compoſitum non deſeruit nouiſſima de tuis ſtudiis cogitatio. Atque ipſe quidem Epicurus vultu hilaris, veſte nitidus, geſtu decorus viſus eſt mihi per vtramque Germaniam, ſuperiorem videlicet & Inferiorem citato ac veluti grallatorio paſſu ambulare & mox Baſileæ, Argentorati, Ingolſtadij, Lipſiæ, Frãcofurti, paulò poſt verò Duaci, Franekeræ, Lugduni Batauorum, atque aliis paſſim vrbibus & Academiis Philoſophemata ſua luculenter explicare; Dogmata ſtabilire, & Symbolum illud quod antea Democriti fuiſſe accepimus ἓν καὶ μηδὲν ἔστι τὰ πάντα magnâ animi contentione in Doctorum circulis & aſſerere & efferre; ſubinde verò aliarum rerum, de quibus pariter inter-

interdiu cogitaueram, diuersæ species & nihil quidquam cum Epicuro cōmercij habentes sese obtulerunt, ex quibus & laudabilem corporis mei temperiem & mentem a crassis ciborum vaporibus liberam, qualémve abstenicorum esse conuenit sine pondere ludentem & veritatem insuper istorum versuum, qui inter Petronij reliquias a Criticis referuntur, deprehendi,

Somnia quæ mentes ludunt volitantibus vmbris,
Non delubra Deûm, nec ab Æthere Numina mittunt,
Sed sibi quisque facit.

Tu verò an vlteriùs ὀνειροπολεῖν debeas, aut ὀνειροσκόπον agere equidem non arbitror, illis potiùs animum aduerte, quæ hac somnij occasione commotus familia-

riter ad te decreui conſcribere, quo meis verbis quaſi pedamentis quibuſdam fluctuantes, circa Epicuri tui elaborationem cogitationes componas, mentémque fulcias, & in ſumma temporis penuria & intercapedine tanti, támque nobilis & operoſi conatus finem & portum faciliùs aſſequare. Sed papæ! inquies, nouum morem & penitus inſolentem; vt qui viua voce & præſenti colloquio Amicum iuuare & monere poteſt, hunc potiùs amet ex ſcripto conuenire, atque etiam Epiſtola præeunte de rebus grauiſſimis affari, quem aliàs non infrequenter gerris ſiculis & inanibus nugis patienti aure detinuerit, & ad nauſeam vſque præſens exercuerit. At iſthûc te volo, perdocte Gaſſende, téque cenſorem non recuſo moris
iſtius

iſtius innouati, non quidem in rebus titiuillitij & ſermonibus floccifaciendis, ſed in iſtis de quibus Auguſtus Imperator nunquam locutus eſt, ne quidem cum vxore ſua Liuia, niſi ex libello atque meditata & compoſita oratione, quamuis vt notat Suetonius capite quarto, non deficeret adhibita, ex temporali facultate. Quo magis æquum eſt mihi qui harum neutra dicendi ratione valeo, vtriuſque vſum libenter concedi, vt qua voce, qua manu præſens & abſens amicorum negotia promoueam, & ea præſertim vrgeam quæ abſque maximo illorum & publici boni diſpendio remiſſiùs ac indiligentiùs tractari non poſſunt. Deinde verò quod ſummi Oratores & Poëtæ contendunt, illud etiam veriſſimum eſſe ſtatuo, ni-

mirùm ea longè ſegniùs animos irritare quæ per ares demittuntur, quàm quæ fidelibus oculis patent, ipſiſque quod in Epiſtolis præſertim vſu venit, non ſemel exponuntur. Vt igitur memoriam eorum de quibus in præſentia tecum agere conſtitui, inde vſque repetam, vnde & tu auocamenta illa quæ te verè ab Epicuro auocârunt repetere conſueuiſti. Cùm ſuperiori æſtate vindemiales ferias procul vrbe tranſigerem & Romanorum more nouis tantùm diebus, non res vrbanas, ſed amicos in vrbe degentes reuiſerem, ſolebam etiam te in alto illo & tranquillo ſeceſſu conuenire, vbi exſculpendo & bene dedolando Epicuro, cæteris curis & negotiis ſolutus, præclarè & placidè incumbebas, geſtiebámque vehementer

menter huic labori totum te addixiſſe, ex quo maxima nomini tuo gloria & incredunda, vt cum Antiquariis loquar, Reipublicæ literariæ vtilitas prorſus eſſet reditura. Sed neſcio quo caſu interim factum eſt vt Illuſtriſſimus Comes & cunctis Naturæ ac fortunæ bonis impensè cumulatus & exornatus D. de Marcheuille cui tua ſingularis virtus & eruditio jampridem innotuerat, ex quo Regis noſtri Chriſtianiſſimi apud Turcarum Imperatorem Orator eſt deſignatus te etiam voluerit,

——————*habere ſuorum*
In numero, duntaxat ad hoc quem tollere Rheda
Vellet iter faciens & cui concredere curas.

Atque vt me primum de hac re & ſuſcepta in Thraciam & Bi-

zantium peregrinatione certiorem esse voluisti, cœpi continuò mihi gaudere & tibi vehementer gratulari quòd ea demùm sese obtulerit occasio bene merendi de literis & insignes progressus faciendi in rebus Astronomicis, quarum te callentissimum esse satis superque testantur insignes illæ, quæ nuper cum tua Epistola pro Reuerendo Patre Marino Mersenno prodiere Obseruationes, atque etiam communis & vulgata de tuis studiis opinio, quæ te parem cum peritioribus nostri seculi Astronomis nec immeritò quidem componit; ac proinde spem certè nec vanam, nec mediocrem animo meo concepi, quòd vbi semel Alexandriæ in Ægypto constiteris & magno illo Gnomone Mathematico quem vt amplis-

amplissimum & omni arte, studio ac industria elaboratissimum habere, nullis sumptibus pepercisti, celeste Amotus obseruaueris; talia profectò de illorum natura retegantur, quæ non minimum illustrandæ Ptolemei Alexandrini doctrinæ conducant; nomenque tuum cum egregia virtutis & eruditionis commendatione in omnem ætatem posteram transmittant. Et verò cùm accuratissimam ipsius vrbis Constantinopoleos, totiúsque Bosphori Thracici Topographiam ab eruditissimo viro Petro Gilliò; incolarum autem mores & ritus à Busbequio, plantarum naturam à Prospero Alpino, varias denique animalium quæ illic degunt figuras & proprietates à Petro Bellono Parisiensi Medico acceperimus. Illud

tantùm cumulatæ felicitati superesse videtur vt perspectâ & exploratâ soli ipsius naturâ in eius Cælum irrumpas & ex Alexandrina specula totius naturæ cælestis ingenium ac descriptionem experimentorum & obseruationum fide confirmatam literis consignes; eóque diligentiùs & pertinaciùs huic vni negotio tibi incumbendum esse existimes, quo jam inde a Ptolemei temporibus rariores extitere, qui tam propensum in publica commoda Mœcenatem nacti fuerint, atque rariores futuri sunt, qui vel sub optimi nec non fauentissimi Mœcenatis præsidio illud ipsum tam peritè ac luculenter quemadmodum tu ipse, præstare possint. Quamobrem vrgebam supra modum ne tibi, aut amicorum tuorum flagranti-

grantibus votis hac in parte non obsequereris, néve plebeias & humiles animos, quæ domi resident, & affixæ sunt suæ terræ, sed diuiniores illas imitareris, quæ Cælorum instar perpetuo motu gaudent, & faciunt nunquam quiescendo vt cætera omnia placidè semper conquiescant. Verùm & illud præterea si rectè memineris addebam atque etiam vehementer commonebam, ne dum Thraces & Græcos & ignotum Orbem cogitas, familiaris tui Epicuri obliuisceris, neve ipsum sineres tanquam Cæsarianum Aiacem in spongiam incumbere vel cum blattis & araneis luctari, aut denique si non extinctum, at saltem sopitum & veluti situ ac puluere sepultum diutiùs obdormiscere. Laborem hunc eò per-

ductum esse, vnde nullo vel certè quàm minimo negotio absolui possit, extremos tantùm ductus & vltimos colores ei superesse, quibus toti figuræ decor & venustas concilietur, neque temporis angustias adeò premere quin si laborem tuum partiri velles & suum Epicuro peculiariter assignare, non hunc ipsum sensim absolueres & ante Calendas Octobris, quæ tibi supremum in Vrbe tempus esse debeant, omnibus numeris perfectum, amicis tuis, aut præstolantibus illum Typographis relinquere posses, atque tunc temporis,

ἡ δὲ ἐμοὶ κατὰ θυμὸν ἀρίστη φαίνετο βουλή.

Tibi verò non item, sed partim nihil agendo, vt inquit Seneca, partim etiam aliud agendo illud tandem

tandem consecutus es, vt hoc totum rei bene gerendæ tempus tibi incassum effluxerit, quod si prout ipse sapienter constitueras grauioribus studiis voluisses, sufficientissimum erat ad illud omne quod de Epicuro in te recepisti, feliciter adimplendum. At nescio quomodo altiùs quàm conueniat sensim prouehor, & dum Epicuri causam ago, tuam deserere videor, quam verbis seuerioribus & tibi forsan ingratis eleuare contendo: verùm tam ardens est meus in te amor singularis vt facem propemodùm succenderit, quam tibi velut in præsidio ad susceptum iter promptius emetiendum constitueram. Et si tecum paulò liberiùs ac vehementiùs cessationem tuam expostulaui, id eo certè factum est quod æquum semper esse duxi, vt

qui amicorum tuorum beneuolentiam ex libertate, qua tecum vtuntur, dimetiri consueueris, mea præsertim quæ nonnisi ex vehementissimo affectu procedit, nusquam offendare. Quidquid sit, arbitrabor semper me rem laude etiam dignam fecisse, qui non possum in vllam aliam incidere opinionem, nisi in eam, in qua scilicet tua de re tibi suadere videar quod piè facere non possum. Tu autem, mi suauissime Gassende, si hæc accipies, vt siue probabuntur tibi, siue, quod absit, non probabuntur, ab optimo certè animo ac deditissimo tibi, & cogitata & scripta esse cogites: Enimverò vt qui me Censorem & quidem acerrimum satis exhibui, Consultoris iterùm partes sustineam, cùm ex Medicinæ præ-

scriptis,

ſcriptis non tantùm illi fœtus vitales exiſtant, qui octauo, ſed etiam qui nono & decimo menſe in lucem erumpunt;non eſt adhuc quod de Epicuri tui proſpero ſucceſſu deſperes, cui videlicet poteris, vel extrema prorogationis iſtius lege,conuenienter opitulari, etſi perfectæ eius elaborationi atque excluſioni legitimæ præfinita hæc a Medicis tempora nondum ſufficiunt. Iuriſconſultorum tamen Decreta ſubuenient, qui non adeò ſtrictè tempus naſcendi definiunt: Sed vide, quæſo,ne rurſus in eundem ſcopulum impingas, & caueas ſedulò ab iſtis duobus, quaſi retinaculis quæ ſola fecere, vt nihil omnino à tribus aut quatuor proximè elapſis menſibus circa Epicurum tuum feceris. Illa verò imprimis eſſe exiſtimo quod

Nobilissimus Orator, qui te sibi comitem adjunxit, de successu suo fermè semper cogitet, Domesticis conscribat, sarcinas & omnis generis impedimenta componat, Triremes conducat, missionem denique ac abeundi licentiam de die in diem expectet, sæpius etiam petat & impensiùs efflagitet. Vnde est quod tibi inter eiusmodi temporis angustias luctanti coërcitóque, satiùs fore arbitraris nihil noui in Epicuro tuo tentare, vt potè quem nonnisi,

Multa dies, varius que labor mutabilis aeui

potest in melius referre. Sed potiùs quidquid erit istius temporis incerti, interrupti, intercepti, vberiori linguæ Græcæ cognitioni, ac nescio quibus aliis minoris momenti negotiis illud totum

totum impendere. Ego verò contrarium quidem censeo, & cùm non minora sint quibus nos demereri potest Epicurus quàm Ptolomæus, vtrique ex æquo tibi incumbendum esse existimo: hoc autem facies si quemadmodum quando eris Alexandriæ totum te detinebit Ptolemæus, ita nunc cùm Lutetiæ degas totum te sibi habeat Epicurus, quod certè rationi conuenientissimum esse faxo statim vt intelligas. Ille siquidem nihil aliud a te requirit quàm quod facili negotio potes illi & Alexandriæ & vbique gentium commodare, acutam videlicet oculorum aciem Astrolabio, Tubo Galilei aut Gnomone aliquo diligenter adductam & obfirmatam. Hîc verò ingentes & instructissimas postulat Bibliothecas, Aucto-

res omnis generis,excuſos & manuſcriptos Codices, & Doctorum Virorum colloquia,quæ tu fruſtra alibi quàm Pariſiis conquiras, & ne quidem totâ Græciâ, Ægypto, Aſiâ, vel Africâ poſſis reperire: Quod ſi in reditum tuum hoc opus differendum & remittendum eſſe cenſeas. Næ tu parum aduertis ad inſignem illam Cæli ſolique mutationem,ad maris vortices,pyratas, tẽpeſtates;ad efferam & crudelem peſtem Byſantio & toti penè Græciæ familiarem,ad victum inſolentem,mores ignotos,morbos communes, ſporadicos,ad latrones, ſicarios,graſſatores, & mille alia diſcrimina, mille pericula à quibus non ſolùm tibi & Epicuro, ſed inſuper Amicis tuis vtriuſque veſtrûm æquè ſollicitis, continuò timendum erit; nam illud meo quidem

dem judicio de peregrinantibus potiſſimũ efferri debebat, quod de ſingulis hominibus dixit Seneca,

Nemo tam Diuos habuit fauentes.
Craſtinum vt poſſet ſibi polliceri;

Deinde verò vt hæc omnia nulla ſint & nauci flocciq́ue facienda, at innumeræ ſpecies & nouæ cogitationes, quas diuturna mentis circa Philoſophiam Epicuream agitatione concepiſti & fideli memoriæ cuſtodiendas tradidiſti intra ſexennium (qui legationis Conſtantinopolitanæ communis terminus eſt) prorſus euaneſcent, Amici tui aliò cõmigrabunt, libri diſtrahentur, & noua omnia tibique inuiſa, inaudita poſt reditũ forſan apparebũt. Nolim tamen exiſtimes iſthęc omnia quæ tibi libertiùs examinanda propono velut quoddã Attalantæ pomum injici, quo futuræ

nauigationis tuæ cursum sistam, aut quemadmodum propola, qui ficus diuendebat, coram Crasso in Parthos exercitum ducente, Cauneas occlamem, tantùm enim abest vt etiam istius peregrinationis primum Auctorem & laudatorem semper habueris. Sed hoc tantùm contendo vt interim dum Magnates illi, quos Fortunæ calculus rerum nostrarum gubernaculis admouit Clarissimo Oratori & Patrono tuo Domino de Marscheuille dies continuò protrahunt & subinde moras innectunt, prudenter caueas ne tibi similiter & Epicuro ipsæ moræ innectantur; & cùm jam instituta ratione promouendi tempus simul excidat. Sanè licet aliorum exempla non superessent, meum certè tibi deesse non potest, quo in istis cautior

eua-

euadas, cùm non ſemel propriâ experientiâ didicerim nihil vnquam de Legatotum diſceſſu ſtatui debere, niſi vbi in viam cum toto comitatu dederint ſe, propter crebras comperēdinationes, quibus ita plerumque torqueri & diuexari ſolent, vt nullâ aliâ re magis. Hoc verò fruſtra apud te ſtatues, niſi eadem animi libertate & conſtantia leuiores alias occupationes, & Græcos illos præſertim valere jubeas, qui te phaleris & grammaticationibus ſuis impalleſcentem tandiu detinuere, quaſi verò egregiam laudem & ſpolia ampla referre poſſis ex intellecto Ariſtophanis Pluto, aut diſclupeata ac euiſerata non ſine Tzetzis aut alterius ductoris opē Lycophrontis Caſſandra. Hoc eſt profectò ne quid moleſtius dicam,

non rectè philosophari & præsenti grauissimóque literatorum fato prorsus impediri, ne cuius nunc hominis personam sustineas, per te ipsum possis cognoscere, ita vt etiam monitoribus egeas & istius linguæ intemperantiâ labore deprehendaris; cùm tamen vel mediocris illius cognitio satis idonea visa semper fuerit magnis Viris ad principatum in sua quemque facultate obtinendum & retinendum. Sanè & D. Thomas & Niphus & Pomponatius quid in Philosophia absque illius auxilio non præstitere? Quid item in Mathematicis Peurbachius, Tycho, Copernicus eiusdem præsidio fermè destituti non efferere? Sed vin'tu Petronianam de nouo isto eruditionis fastu parodiam patienter ferre? Nuper certè ventosa isthæc & enor-

& enormis Græcitas Gallias & vniuersam fermè Europam ex Asia commigrauit, animósque juuenum ad magna surgentes veluti pestilenti quodam sidere afflauit, semélque corrupta Philosophiæ & altiorum Disciplinarum regula stetit & obmutuit. Quis postea ad summam Alberti? Quis Regiomontani ad famam processit? ac ne libellus quidem sani coloris enituit, sed omnia quasi eodem cibo pasta, non potuerunt vsque ad senectutem canescere: Verùm audio quid statim obganniant hesterni illi & nuperi Hellenistæ, nimirum quod eiusmodi Philosophi & Mathematici Opera sua longè doctiora & augustiora reddidissent si ab illis auctoribus & libris adjuti fuissent,

à quibus constat eos propter linguæ istius ignorationem perpetuo abstinuisse; & sanè in eorum sententiam descendo, modò hanc litem & contestationem moueant de mediocri tantùm in hac linguâ exercitatione, quam vt in omnibus laudo, sic in te potissimum magnifacio, atque vtinam ista contentus, quæ tibi viam facilem referat & iter planum expedit ad optimos quosque tum Historicos cùm Oratores & Philosophos inoffensè perlustrandos & euoluendos, vlterioris in ea progressus curam Humaniorum literarum Professoribus καὶ τῶν κοινικῶν, vt ipsimet loquuntur, Coryphæis relinquas, & Cæli tantùm ac soli curam geras; quod nunquam aliter meliùs præstiteris quam si,

Dum res & ætas & Sororum
Fila trium patiuntur atra;

Totis tuis viribus in Epicurum incumbas, cuius partim hominum neglectu, partim etiam longo sæculorum decursu extinctam famam, obliteratam doctrinam, neglecta & malè accepta Dogmata, dispersos Sectatores, palabundos Auditores; nisi tu velut alter Æsculapius in integrum postliminio restituas & cælestis quadam animulæ tuæ particula pleniùs illustres: Non est profectò quod optimus ille & sapientissimus Philosophus præstantiorem alterum vindicem rebus suis deploratis & omnino conclamatis opem vnquam laturum existimet, aut aliunde suam salutem, imò resurrectionem speret & expectet. Quare macte virtute & honore

amicorum, Eruditissime? macte & quod magnis auspiciis cœpisti, magno animo & pari cum felicitate, constantia perage: Aut enim meus me fallit animus, aut illucescet tandem illa dies, quâ tu, quòd pro tua singulari humanitate & beneuolentia literatos omnes juueris, non modò eos tibi deuinctos habeas, sed insuper tuam doctrinam tibi honorificam fore, & vniuerso generi humano valde vtilem ac laudabilem magnâ omnium bonorum gratulatione glorieris,

Eia age, rumpe moras, Epicuri Secta resurget,
Auspiciis, Gassende, tuis, longúmque per æuum
Ibit & immensos famæ spectabit honores:
Debebúntque tibi venientia Secula, votis

Quòd

Quòd damnata diu veluti contraria justis,
Cultior hæc nostro Doctrina affulgeat Orbi.

Vale Dabam Parisiis, die vltima Octobris 1630.

XXIV.

Clarissimo Viro D. Ioanni Riolano filio, Doctori Medico Parisiensi, & Anatomes ac Pharmaciæ Regio Professori, Gabriel Naudæus
S. P. D.

Lutetiam.

TAnti semper fuit apud me (Ioannes Riolane, magni Patris fili maxime) virorum Doctrinâ, judicio & eloquentiâ præstantium auctoritas, quanti eorum omninò esse debet, qui velut in arce Musarum constituti, purioris doctrinæ fata pro arbitrio tempe-

rant, eosque literarum & Scientiarum fontes nobis referant, ex quibus post, modùm

Omnis posteritas latices in pocula ducat,

Nec injuriâ sanè tantum auctoritatis & gloriæ præclaris suis laboribus consequuntur ingentes illæ animæ, etsi non celestis particulæ pleniùs compotes, at saltem

Queis meliore luto finxit præcordia Titan:

Cùm enim scriptorum laus omnis & commendatio ex rebus & verbis optima ratione simul connexis repetenda sit, inde est profectò vt omne punctum tulisse & vtramque paginam absoluisse ipsi tantùm jure merito videri possint, quorum vt in rebus doctrinæ copia reperitur, sic in verbis lucet ora-

orationis nitor, & in decenti connexione vis illa iudicij reperitur, quæ reliquo operi ſanum colorem addit, eique nunquam intermorituros per ſeculorum decurſus honores ſpondet & aſſerit. Hæc eſt ſiquidem triplex illa Hecate toties a Poetis decantata; hæc trina Virginis Dianæ facies, triformis Gerion, τρικέφαλος Ἑρμῆς, aut potiùs trias illa Charitum, quæ licet parcè admodùm literatis hominibus adblandiri ſoleat, nihilominus tamen Patri tuo felicis memoriæ Ioanni Riolano in publica commoda naſcenti ſic fauentem ſe exhibuit, vt eum non ſuo deinceps, ſed diuino ore locutum, nec Hippocratis duntaxat aut Galeni doctrinam, ſed Apollinis & Æſculapij mentem aſſequutum fuiſſe, haud quiſquam

falsò sibi persuadeat: & quidem cùm omnia in eo non trita, nec è medio petita fuerint, tum etiam tria isthæc quæ literatorum felicitatem implent, præstantissima fuere; quibus tantum veræ gloriæ adeptus est, quantum vix in eorum vnoquoque separatim non modò recentiores sed antiquorum etiam pauci sunt assecuti, vt meritò dum inter viuos ageret, tanquam vnicum facultatis Medicæ ornamentum ab omnibus coleretur, mortuum verò Docti summoperè laudent, admirentur etiam qui non sunt quouis Morgite vel Corœbo stupidiores. Sed ne quis me velut subleſtæ fidei reum sistat aut istud tuis auribus datum existimet. Supersunt adhuc eius monumenta, in quibus præsto sese offert bonæ mentis

con-

conjuncta cum eruditione singulari felix vbertas, & illud pariter verborum lumen succedit vt nihil spectetur lubentius, nihil intentione studio legatur, aut Philiatrῶn omnium manibus quotidie teratur. His de causis vt primùm in hunc literarium partum vel potiùs thesaurum incidi, venit mihi statim eius in mentem, quod postea verissimum comperi, nimirum ab emendato & probè semper temperato Patris tui calamo, nihil defluere potuisse, nisi quod gemmis par esset, & inuestigantis labore dignum; sed quod in Galenum scripsisset, celesti prorsus aurâ ditatum vt sit, omninò esse necessum. Nec in alio conjecturâ falsus mea spe decidi: nisi quod cum eiusmodi Commentarios dictasset in Schola Triquetica in

qua annis 1578. & 1579. frequenti auditorum concursu Medicinam prælegebat, multa tum suis discipulis viua voce explicauit, quæ vel faciliora, vel minus digna judicabat, quàm vt in scripta, quæ simul tradebat, referrentur; vnde etiam factum est vt nobis hodie suâ voce & præsentiâ destitutis hæc justo breuiora videri possint. Sed neque illud etiam reticendum est quod ad σφάλματα, si quæ in illis forsan occurrent, deprecanda non minimum conducet; me vnicum duntaxat eorum exemplar habuisse, & illud quidem casu inuenisse, sed tale profectò qualem olim pius Æneas Deiphobum inuenerat,

Laniatum corpore toto;

Vt non parum mihi desudandum

dum fuerit in Textibus Galeni annotandis, lacunis quibuſdam ſupplendis, & toto libri vultu ad eam formam & ſpeciem effingendo, quæ optimo cuique non vehementer placere non poſſit. Mihi verò & omnibus æquis rerum æſtimatoribus, vel hoc nomine grata ſemper erit iſthæc ſcriptiuncula, quod naturâ ita comparatum ſit, vt quos admiramur ac magnifacimus, eorum omnia vel etiam minima cognoſcere & penes nos habere cupiamus; vnde ſi lucernam Epicteti mille drachmis, Protei Stoici baculum talento venditum accepimus, multò magis ſummorum & eruditione præſtantium Virorum quamlibet tenuia & jejuna Opuſcula nobis in pretio non mediocri eſſe debent. Tibi verò vt ad te

tandem reuertar, Doctissime Riolane, quod admodum accepta futura sit posthuma hæc Patris tui fœtura, quæ veluti postliminiò propriam Domum repetit nullus dubito; noui siquidem quo semper affectu & sensu in omnia quæ famam illius augere possunt, extiteris, quosve sumptus vt eius Philosophiam, quam integro biennio publicè maximo cum applausu professus est, ab iniquis professoribus repeteres, non semel pertuleris: vobis ambobus multa debet Respublica Medica, in qua sanè & ordinem ducitis & tales vestris laboribus & inuentis haberi meruistis,

Quales aëriæ quæ circum flumina nota
Consurgunt geminæ quercus, intonsáque Cælo

Atto-

Attollunt capita, & sublimi vertice nutant.

Sed fruitur jam famâ sui nominis ἐπώνυμος Parens tuus, & nos illum sic inter mille gratulationes & epinicia affari possumus, Aspice nunc, ô Medicinæ decus & Scholæ quondam tuæ præsidium?

Aspice, completur votum, jam natus adæquat
Te meritis & quod magis est optabile, vincit;

Tu quidem & Medicinæ Philosophiam ingeniosè conjunxisti, & vtramque pari cum felicitate diligentiâ sic excoluisti, vt quod olim de Cæsare dictum est, eleganti breuitate posteros omnes a simili conatu deterneris: Sed non minus liberis quàm libris studia nostra juuisti, & quod adhuc in dissectione cadauerum & præpa-

ratione medicamentorum desiderabatur, per filium tuum absoluere voluisti. Et verò illa semper fuerat votorum Patris tui summa, Ioannes Riolane Anatomicorum omnium Princeps meritissime, vt Majoribus tuis in hac arte palmam eriperes, præsentibus etiam atque tecum in hoc campo decertantibus longè superior euaderes, facem denique illam posteris omnibus accenderes, qua duce liceret per tot cadauerum labyrintheos plexus, per tot minutissimarum partium occultos meatus, per tot musculorum, neruorum, venarum meandros & anfractus inoffenso ductu encheirisin celebrare & securè de illis non minùs quàm doctè & eleganter ad miraculum disserere. Adderem plura in nominis tui verè maximi

maximi commendationem, sed præstat tantùm illud Symmachi, *Laudentur incogniti, vt eorum merita in occulto sita testimonij splendor irradiet*, *mihi impræsentiarum supersedendum est huiusmodi scriptione, ne incepti frustrer, si te spectatum bonis & eruditis omnibus facundiæ atque eruditionis adstipuler*: Quare

Accipe dilatam tua, fili, in tempora famam,
Quodque Patris superest successor laudis habeto.

Datũ Parisiis 1. Ianuarij anni 1631.

XXV.

Doctissimo Viro D. Renato Moreau, Doctori & Professori Medico Parisiensi ordinario, Nosocomij Lutetiani Therapeutæ & saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Decano Dignissimo, Gabriel Naudæus S. P. D.

Lutetiam

QVandoquidem is ego semper

fui, Renate Moræe, qui neminem mortalium ab eo tempore, quo me tibi literarum amor conjunxit præ te dilexerim, nullumve habuerim, cuius rationem dignitatis atque fortunæ, libentiùs in meo ære duxerim, facerem profectò rem & honore isto quo nunc auctus es & continuo in me amore tuo prorſus indignam, ſi quod iſtis duobus titulis me tibi debere ſentio longiùs protraherem, aut quod jamdiu verbis & oratione ſum profeſſus, non etiam ſcriptis aliquando teſtarer. Atque illud mihi ſæpius animo reuoluenti, qua tandem occaſione votum eiuſmodi perſoluerem nulla ſeſe mihi commodior obtulit, quàm *Propædeumata* Collegæ quondam tui Ioannis Riolani tibi offerendo, aliorum morem imitari, & ea de re in hac

Epiſtola

Epiſtola diſſerere, quæ & huic loco conuenientiſſima videri poſſint, & ab omni fuco & adulatione quantum fieri poteſt ab ingenuis aut a probis deſiderari remota: maximè cùm talis ſemper & tantus extiteris vt vel abſolutiſſimis quibuſvis encomiis & affectui meo poſſim & veritati ſimul inſeruire. Hoc autem eo faciliùs & feliciùs exequar, quòd Theoxeniam rurſus celebrare & quemadmodum Virgilius ſub Calliopes nomine omnes Muſas:

Vos ô Calliope preces aſpirate canenti?

Sic tuo ſub nomine reliquos omnes Scholæ Pariſienſis Aſclepiadas, quorum tu in caput electus es, videar mihi conuenienter appellare apprimè ſiquidem noſtri Rhiani veteris Poetæ verſum il-

lum, quo dicitur si vna Musa vocata sit, reliquas omnes statim exaudire.

πασαῖ δ' εἰ σαίνοι μῶας ὅτε τ' ἐυνομα λέξεις.

Gratulor igitur tibi ex animo nouos fasces & amplissimæ dignitatis insignia ex omnium voto tibi delata, quibus eam nunc videris famam adeptus, vt nec illi accessio quærenda sit, nec fortunæ vis vllo pacto metuenda, scilicet hoc debebatur Scholæ Medicæ dignitati, vt negotio publico vir laudatus accederes, & industriâ comite, prudentique consilio plus negotiorum expedires, quàm quantum jure & potestate, morosáque seueritate, qui ante te fuerunt, potuerint certè plurimi. Sanè in excelso jam & illustri loco sita est laus tua, in plurimorum & sociorum

ciorum & ciuium conſpectu rei fulget;

Te quoque Naturæ ſacris, Mundique vacantem
Inuadunt trabeæ, nil jam Moræ relictum
Quo virtus animo creſcat vel ſplendor honore
Culmen vtrumque tenes. ———

Perge igitur operam nauare tanto muneri conuenientem, excute vim illam bonæ tuæ mentis, quæ nihil non rectè moliri conſueuit, aut ineptè emoliri; vrget te grandis expectatio, nec illa quidem immunis a periculo, dum aliquid ſemper amplius quàm quiuis bonus præſtare valet, ſibi pollicetur: Sed nihilominus actutum fore confido vt expectatione illa, quæ de te magna eſt, major habearis & nulla res ſit tam difficilis

quam non & consilio regere & integritate tueri & virtute conficere possis; vt hunc honorem tibi Deum fortunare vel æmuli fateantur, atque a te pro tua & Senatus Iatrici dignitate feliciter administrari. At verò cùm augustiori natura præditus sis quàm vt vnico duntaxat miraculo possis clarescere & non secus ac Mallius ille Theodorus apud Claudianum.

— duplici vitâ subnixus in auum
Procedas, pariter libris, fastisque legendus.

Grauiter ab eo quod in hac Epistola mihi dicendum proposui, aberrarem, si librum hunc tuis sub auspiciis & grato fauore, a situ, puluere & forsan æterna nocte vindicaturus de tot aliis, quos ab eodem periculo quotidie redimis, & Bi-

& Bibliothecæ thesauro magnis sumptibus & laboribus asseris nihil omninò dicerem : maior est profectò iste conatus , quàm vt venientibus seculis obliuione; vtilior etiam quàm vt præsentibus ignoratione subtrahatur. Nempe ille ipse es qui quod olim Iulianus Imperator de se dixerat , ἄλλοι μὲν ἵππων , ἄλλοι δὲ ὀρνέων, ἄλλοι θηρίων ἐρῶσιν. ἐμοὶ δὲ βιβλίων κτήσεως ἐκ παιδαρίου δεινὸς ἐντέτηκε πόθος. Illud idem de te similiter vsurpare meritò potuisti , & qui semel redditum Zenoni Ciziceo Oraculum , vt si beatitudinem & immortalitatem consequi vellet , viuens mortuos coleret ; tibi quoque ad eundem terminum non remulco (vt aiunt) sed plena velificatione contendenti , illud datum dictúmque fuisse semper exi-

ſtimaſti. Nec immeritò ſane cùm ex Arbitri tui ſententia, *Neque concipere, nec edere partum vlla mens poßit, niſi ingenti literarum flumine inundata.* Atque illud etiam ſapienter moneat Caſſiodorus, quod Nemo juſtiùs aſſiduè diſcit quàm qui de humana ſalute tractauerit. Sed nec præſentis eſt loci in has rationes inquirere, nec etiam meæ tenuitatis conatum iſtum, cui totus adhuc incumbis meritis laudibus proſequi, ad quem non niſi Encomiaſtes impar poſſim accedere. Quamobrem illud tantùm exequar, quod tempus & occaſio poſtulant atque tuum illud Opus duodecim annorum publicæ tradam admirationi & bonum ſeculi publicabo. Et verò ſi hoc vſu & conſuetudine antiquitùs receptum fuit, vt magnam laudem mere-

mereretur qui ignotum aliquod Romanis animal, Elephantem purà aut marinum passerem primus exhiberet; si etiam longè major illis reddebatur, qui sepultos & delitescentes in auiis & ruderibus thesauros indicaret, maximam certè vel ex eo me consequuturum ab omnibus Apollinis & Æsculapij Mystis arbitror, quod illis locum indicem, vbi tota pene collecta totius orbis Iatrici eruditio, tota Græcorum, Arabum, Latinorum Medicorum sapientia conquiescit, vbi & omnes & singuli quotquot in Orbe degunt, maxima studiorum suorum præsidia collocata esse intelligant, vbi tandem plus librorum ad Medicinam & facultates illi succenturiatas, (Philosophiam intelligo, Astro-

nomiam & Humaniores literas)
ſpectantium habeatur, quàm vllus vnquam alius ſimul coegerit, quàm Indices ipſi loquantur, imò verò quàm multi aut ſcriptum, aut editum vnquam fuiſſe arbitrentur. ô Effatum ingens inſolens hactenus inauditum : ſed adeò tamen verum vt non ipſe tantùm qui plures heic & in Italia perluſtraui Bibliothecas, non omnes qui in Gallia degunt, ſed Exteri quotquot huc accedunt, Itali, Germani, Batavi, Angli, veriſſimum illud & ingenti miraculo proximum eſſe non ſine ſtupore fateantur. Sed gradum hîc ſiſto, veniet ſiquidem aliud tempus, quo mirabunda poſteritas in Indices tuos inquiret & quod ætas tûa per me cognoſcet, inter exempla referet, imò verò nec temere

merè dicam inter portenta narrabit, si quod tibi & veritati & vtilitati publicæ debeo, pleniùs ac vberiùs aliquando persoluam. Atque hæc ipsa erant, Renate Moræe, Medicorum integerrime, de quibus tibi sub initium huius Epistolæ meritas gratulationes promiseram, addidissem etiam nonnullas de reliquis virtutibus tuis, præcipuè verò de singulari eruditione & librorum quos in publicam vtilitatem quotidie componis maxima vtilitate, sed & ipsa per se omnibus patent, & non desunt propemodùm infiniti, qui debitos eiusmodi honores tibi quotidie persoluant & largiantur. Quare hoc tantùm superest vt huic libro tutelam tuam non deneges, cùm suâ tum etiam mea de causa, cui nihil vnquam dene-

nomiam & Humaniores literas) ſpectantium habeatur, quàm vllus vnquam alius ſimul coegerit, quàm Indices ipſi loquantur, imò verò quàm multi aut ſcriptum, aut editum vnquam fuiſſe arbitrentur. ô Effatum ingens inſolens hactenus inauditum: ſed adeò tamen verum vt non ipſe tantùm qui plures heic & in Italia perluſtraui Bibliothecas, non omnes qui in Gallia degunt, ſed Exteri quotquot huc accedunt, Itali, Germani, Bataui, Angli, veriſſimum illud & ingenti miraculo proximum eſſe non ſine ſtupore fateantur. Sed gradum hîc ſiſto, veniet ſiquidem aliud tempus, quo mirabunda poſteritas in Indices tuos inquiret & quod ætas tua per me cognoſcet, inter exempla referet, imò verò nec temere

merè dicam inter portenta narrabit, ſi quod tibi & veritati & vtilitati publicæ debeo, pleniùs ac vberiùs aliquando perſoluam. Atque hæc ipſa erant, Renate Moræe, Medicorum integerrime, de quibus tibi ſub initium huius Epiſtolæ meritas gratulationes promiſeram, addidiſſem etiam nonnullas de reliquis virtutibus tuis, præcipuè verò de ſingulari eruditione & librorum quos in publicam vtilitatem quotidie componis maxima vtilitate, ſed & ipſa per ſe omnibus patent, & non deſunt propemodùm infiniti, qui debitos eiuſmodi honores tibi quotidie perſoluant & largiantur. Quare hoc tantùm ſupereſt vt huic libro tutelam tuam non deneges, cùm ſuâ tum etiam mea de cauſa, cui nihil vnquam dene-

gasti. Vale. Dabam Parisiis, 2. Ianuarij anni 1631.

XXVI.

Doctissimo Viro Domino Petro Gassendo S. Theologiæ Doctori & Diniensis Ecclesiæ Canonico Theologo, Gabriel Naudæus S. P. D.

Diniam

NOn est profectò, Doctissime Gassende, quod grauiter & iniquo animo ferre debeas, si tibi & mei amantissimo, & eius officij, quod inter Amicos per literas exhibetur, studiosissimo, diuturnâ meâ ad te scribendi cessatione, fel tuum illud licet columbinum acriùs paulò vellicârim & occasionem sanè non leuem injecerim altiùs inuestigandi vndenam istius tam obfirmati & immitis silentij causam posses elicere: Vulgatum siquidem est, & solemni apud

omnes, qui Talionis legem obſeruant Sanctione receptum, per quæ quis peccat, per eadem & ipſum puniri. Et verò cùm me in eodem Equuleo priùs ipſe deſtinueris non tam inueſtigandi quàm diuinandi cur tuam illam quam D. Buchardus mihi reddidit dum Vaticanis in hortis ſpatiaremur, acerbiuſculè ſcripſeris, hoc ſanè tibi reponendum eſſe penes me ſum arbitratus, vt hoc tam longo tempore, quo nihil a me literarum accepiſti, dubitares ſaltem cur nihil literarum ad te tranſmitterem, & pene eſt vt dicam cur iraſcerer; pupugerat me ſiquidem nonnihil Epiſtola tua, méque in eam ſuſpicionem adduxerat, vt vererer, ne quid a me antea imprudentius fuiſſet, in ipſis quas ad vtriuſque noſtrûm delicias Tu-

bertum Ocellam non infrequenter exarare soleo, de te forsan insinuatum. Hoc verò si tibi vel per somnium in mentem venerit, quæso, obtestórque vt somnij instar auolet, cùm nihil vnquam ego, quo tarditatis & negligentiæ te insimularem, non modò scribere, sed ne cogitare quidem potuerim: Quasi verò te non bene nôssem, tuáque mihi virtus, comitas & propemodum incredibilis amicitia parum perspecta esset, aut quisquam Mortalium existeret, qui nunc auderet contendere tuos tibi sensus meliùs quàm mihi perceptos esse & cognitos. Crede mihi, Amantissime Gassende, memetipsum turpissimæ inscitiæ accusarem, si tibi per me, vel minimæ ignauiæ notâ inureretur & grauiter aduersus
τὸ πρί-

τὸ πρέπον peccaſſem, ſi quod à me tibi tunc temporis erat exhibendum, hoc ineptè voluiſſem & mihi à te priùs exhiberetur; Neque enim ita ſum rudis vt neſciam, nec tam malendus vt inficiar hunc ſcribendi morem, quod ſapienter monet Symmachus, à ſuperſtitione vetuſta fuiſſe conſtitutum vt ad peregrina digreſſi priorem ſibi locum vendicent cum abſentibus colloquendi: Quare neſcio quo fato contigiſſe dixerim vt quod mihi inter ſcribendum mera voluptas, jocus, delicium, vrbanitas videbatur, tibi inter legendum non ita ſimiliter appareret, & in hoc tantùm peccet mutui noſtri conſenſus regula, quæ in cæteris actionibus tam firma eſt & ſui ſemper ſimilis, vt non immeritò videri poſſint.

——— *Amborum fœdere certo*
Consentire dies & ab vno Sidere
duci.

Næ tu igitur parum vrbanè facias, vrbanitatem hanccè meam æqui consule; méque & tunc jocosè locutum & nunc etiam cùm me tibi iratum fuisse dixerim, non seriò loqui apud te perpende: Vtor verò libenter hac non quidem excusatione ad mentiendum compositâ, sed liberâ & efficaci ad persuadendum confessione; quòd ab hac etiam non penitùs abscedas, & tot ridiculis casibus diuersorum Principum in hac veluti Mundi Scena histrioniam agentium persuasum habeas beatissimam illam Epicuri tui Voluptatem non alio rectè quàm sapientissimo Democriti risu & blandiloquio posse condiri. Sed

heu

heu! quàm te beatum & felicem existimo, Amicorum Suauissime, qui cum Thedoro nostro & Tuberto Ocella potes ipsum os liberiùs diducere, & lieni dum seditionem facit locum ampliorem concedere; mihi aut in medio quorundam Nobilium degenti, quos humor Melancholicus sapientes, parcimonia grandes & siccos, Dea verò quædam nomine Lesina sibi peculiari cultu deuotos efficiunt, timerem magnopere, ne quemadmodum & ipsis, risu atque dicteriis & hilariori vitæ genere interdictum foret, nisi Eminentissimi Cardinalis à Balneo, cui me totum mancipaui, vt deliciarum & liberalitatis, sic morum & libertatis Gallicæ multum adhuc retineret & ea omnia suis Aulicis subministraret, quæ

nos priscorum Ægyptiorum similes efficerent apud quos

Porrum & Cepe nefas violare & frangere morsu

Quod non item præstant reliqui Cardinales suis anteambulonibus & Parasitis, quibus sportula tam exilis & artificiosè in singulos dies commensurata distribuitur vt ipsos annos circiter triginta & aliquando etiam quadraginta locatæ suæ operæ tanquam venenum aliquod ad certum tempus determinatum pauperie & miseria, nonnunquam etiam rabie enecet; hoc tamen vtilitatis interim consequuntur ex coacta illa & imperata frugalitate, quod Israelitarum instar duro ac alliato eiusmodi victu ad functiones Aulicas vegetiores existant, non pingui aqualiculo deformes, nec lau-

tiori

tiori mensarum apparatu velut vtres distenti, sed honestissima quadam inter ipsos marcedine venustiores & Romana macie decori. Adderem plura nisi rerum istarum non profunctoria narratio Elæo nostro seruanda esset, cui jampridem addicta est, vt Mortalium omnium φιλογέλωτι maximo, Lubentiæque ac vitulinæ festiuissimis celebrationibus non per annua reuerticula vt Thessali Gelasino, sed quoties à grauioribus curis feriari aliquantulum licuerit hilariter ac suauiter operanti; Tibi verò ista velut in promulsidem attuli, quo me totum ad sales & facetias nunc esse compositum agnoscas & tunc etiam fuisse conjicias cum tuis Atomis, & ipsarum quibus inter se connectuntur hamis, harpagonibus, &

vncinis, furcinulisque ac fibulis, idem à Campanella periculum, quod Pygmæis quondam ab Hercule, aut Pediculis à Diogene imminere prædixi. Quod equidem tam vrbanè & facetè dictum omninò fuisse velim existimes, ac si montis istius Vesunij, qui etiam nunc flammas euomit, & latiùs in dies grassatur quà Chasmate, quà cinere, quà torrentibus ignis & aquæ, perdens sata læta, boúmque labores, occasione; quot Atomorum millia ex tam profundo specu erupisse & per aerem hinc & inde dispersa fuisse arbitreris, obnixè nunc à te contenderem; imò verò non possum adhuc facere quin toties rideam effusissimè quoties apud me cogito tam ineptum hoc merum & tam parum verisimile mendacium tantum tibi sol-

bi ſollicitudinis attuliſſe: cùm alioqui cogitationes tuas verè ſublimes & te ſolo ac Epicuro dignas nullo modo damnare potuerim, nec ſi potuiſſem voluerim, neutrum enim modeſtia & candore meo incolumi feciſſem; ſed nec ingenij ſemper fui ſimilis opinione, qui te priori mea vt ipſas redintegratis viribus & alacriori quodam impetu ad finem perduceres vehementer ſum cohortatus, vt certe in præſenti & aliis, quas ad te poſtea frequentiùs tranſmittere mihi eſt animus, cohortari non deſinam. Cùm enim omnes qui me, meúmque ſingularem in Viros literatos amorem cognoſcunt, iidem etiam non ignorent hoc mihi ſemper in more & conſuetudine poſitum fuiſſe vt eorum velut ἐργοδιώκτης nouos

ſubinde fœtus inquirerem, elicerémque frequenter & in Academiarum lucem ac Eruditorum conſpectum proferrem: tum verò iſtud vnum mihi præ cæteris faciendum eſſe ſemper exiſtimaui, vt te ad hoc, quod tam laudabiliter incepiſti, Philoſophiæ Epicureæ Syſtema perficiendum vehementer ſtimularem. Etſi enim tua naturalis ad mentem ſtudiorum cultu & melioribus literis excolendam propenſio, & Epiſtola, qua me de tuo progreſſu in hac noua philoſophandi ratione certiorem eſſe voluiſti, ſatis ipſæ mihi perſuadere valeant te quidem in hoc ſummo otio & tanta facultate vacui ac liberi temporis non ceſſare vel otiari, multa tamen ſunt, eáque grauiſſima quæ te totum inflammare & accendere debent

debent vt quantum conniti animo potes, quantum labore & diligentia contendere, tantum omnino efficias, néve committas istud operis diutiùs expectari, cuius flagranti desiderio certum est teneri non tuos Amicos modò, sed Eruditos omnes & Orbis Academias vniuersi, quarum maximè interest te sanioris istius Philosophiæ vindicem nullis obicibus & impedimentis à tam præclaro & generoso conatu retardari. Fuit enim mea semper hæc, nec diffido quin aliorum etiam extiterit sententia, Doctissime Gassende, eos qui Scriptores veteres in Bibliothecarum situ & puluere delitescentes eruunt, ac propemodum diuino Typorum beneficio, studiosorum vsui accommodant, vel iniuria temporum deperditos &

instar cuiusdam Hypoliti hinc & inde distractos, reliquorum auctoritate freti colligunt, ac in pristini corporis speciem restituunt, de bonis literis, honestisque disciplinis meliùs longè mereri, quàm qui aut Pœmata, aut Orationes, aut libros artem aliquam jam antè à veteribus traditam atque explicatam complectentes scribunt & componunt, quoniam istorum futilis est plerumque conatus & mediocris industria. Horum verò nunquam non summopere necessarius est labor & non vulgaris doctrina; quamobrem si tuæ existimationi & optatæ nominis immortalitati rectè consultum esse velis, ad Epicuream tuam Syntaxim ociùs absoluendam non tantùm accede;

Sed quantùm se homini possunt extendere passus;

Arduum accelera? ——

Hoc sit studium, hoc otium tuum, in hoc somnus & quies, in hoc etiam labor & vigilia reponantur; nam cætera rerum tuarum

Cùm semel occideris & de te splendida Minos
fecerit arbitria ————

Alium, atque alium Dominum sortientur, hoc nunquam desinet esse tuum; nôsti siquidem illud alterius Poëtæ,

Viuitur ingenio, cætera mortis erunt.

Hos igitur ego te imitari mallem, quorum nomina solo librorum, quos nobis reliquerunt præsidio adhuc vigent & habentur in Eruditorum sensu celeberrima, cùm ipsi tamen duobus abhinc annorum millibus obierint, quàm

nunquam perficias; nunquam dico & hoc tam securè quàm securum est eos omnes, qui durum istud ac fastidiosum iter ingressi sunt, aut ex ista peregrinatione non reuerti, aut longè falsos eorum, quæ sibi promiserant, redire. Sed quod Elæus tibi persuadet, absit vt dissuadeam, cùm ipso, qui sapientissimus est, impellente nihil inde non faustum, & te, qui Doctissimus es, nihil non excultum ingenio, elaboratum industria, & erutum atque illustratum incredibili propemodum diligentia sperari debeat. Faciendum tamen mihi visum est pro animi mei conscientia, próque eo, quanti te facio, vt aliquid iisdem de rebus ad te literarum darem, de quibus orta jam ante biennium simili occasione nonnullas dedi, &

hoc vnum quantâ possum animi contentione abs te peterem vt inusitatam hanc inuisendæ Græciæ cupiditatem, quâ te nunc flagrare veriùs quàm teneri ex tuis & Elæi ad Dominum Buchardum Epistolis cognosco; tuæ enim vtilitati & Amicorum deinde commodis ac voluntati lubens accommodes, quorum suffragiis si tantum deferas, quantum par est ab amicissimo & honestissimo quoque concedi, nihil prius, aut antiquius omnino habebis, quàm hunc librum suis omnibus numeris absoluere, téque mulieribus similem gerere, inter quas non raro videmus prægnantes offendi peregrinatione & sequenti locorum mutatione, enixas verò plerumque iuuari. Cæterùm responsionem earum, quas sub aduentum

meum

meum R. P. Scheiner tuo nomine tradideram, nudiustertiùs tantùm accepi, cum præfatione tamen veniæ, quòd ipsam tandiu distulerit & tertio Decembris anni proximè elapsi exaratam, istius tantùm vertentis principio exhibuerit, hoc imprimis causatus se nimirùm variis librorum suorum editionibus & quorundam etiam Italorum fraudibus distractum hinc Epistolarum officio negligenter admodùm vacasse, cui nunquam ita auris solutus est vt nisi se inuitus accingat, atque hoc tantum Effatum absque vlteriori declaratione protulit. Ego verò facile mihi persuaderem hunc ipsum tot Eruditorum miseratione commoueri & exemplo etiam doceri; qui tempus omne suum in hac literarum vicissitudi-

iterum, deinde verò ſapientiſſimis Eleo Theodoro ac Oraſio Tuberoni (*Diodato* ſcilicet ac *à motha Vayerio*) commendatum habe & vale. Dabam Romæ 13. Ianuarij 1632.

XXVII.

Nobiliſſimo Viro Domino D. Du Pré Cauſſiniy Domino, Gabriel Naudæus
S. P. D.

Lutetiam

ETſi diuerſarum rerum concurſus, ac noua veluti facies vt ſpecierum vltrò ſe noſtris ſenſibus ingerentium, tumultum ſæpe excitet in animo, & moleſtiam exhibeat, recordari aliquid feſtinantibus, vt ego ſanè & frequenter perſpexeram in aliis & proximè etiam expertus ſum in meipſo, non potui tamen mille licet hominum, rerúmque for-

mis & ante ambulationibus Aulicis haud minimùm distractus subcisiuis meis ac potiùs furtiuis horis non tui tandem meminisse, Nobilissime Pratæe, & consuetudinis tuæ quæ mihi præ cæteris iucundissima semper extitit magna cum delectatione non recordari, atque hoc mei in te animi cultu officio citiùs me per literas (quod omninò tibi velim esse persuasum exoluissem, nisi tua illa, quæ satis omnibus perspecta & explorata est singularis comitas & beneuolentia nihil non prorsus liberum esse vellet cùm in aliorum, tum verò maximè in amicorum negotiis. Quare religionem & curam si qui ex officiorum raritate perpendunt, ne ipsi profectò grauiter peccare mihi videntur, & innócentissimis plerumque

rumque ac amantissimis hominibus, quam potiori iure variis occupationibus deberent legationis culpam inurere, cùm ipsæ moras sæpe sæpius iniectant scribendi cupidis & honesta vota ac desideria nouis hinc vel inde succrescentibus impedimentis morentur continuò ac retardent, vt verò quod hucvsque conticuerim atque vnum me ex Angeronæ Mystis aut Pythagoræ discipulis erga te potissimum exhibuerim, quem aliàs studiis grauioribus immersum nugis meis interpellaui non insuauiter, voluntati profectò meæ istud non debet adscribi quæ tui semper similis eadem animi propensione absentes iuxta ac præsentes amicos coluit, nec aliquid vnquam tanti habuit, vt cultum quem vtrisque debeo ac hu-

ſed hominum fermè aditu atque cõmercio ſeparatum exiſtit, quandoquidem vix adiri poteſt abſque manifeſto vitæ diſcrimine ob molis Adrianæ propugnacula Solem ipſum in tranſeuntes duplicato velut ictu eiaculantia & Pontis huic immediatè ſubjecti nudam, ac apertam planiciem, quæ Roſa feruida Solis jure nuncupari poſſet,

Semper Sole rubens & torrida ſemper ab igne.

Acceſſit longè permoleſtum, ac tœdioſum onus functionis Aulicæ quæ in eo tota verſatur vt Eminentiſſimi Cardinales ante ambulorum Aulicorum frequentiori numero ſtipati incedant dum mutuis inter ſe certant officiis & honoris ac ſalutis impertiẽdæ cauſa ſibi inuicem vltrò citroque occurrunt vel ad Palatium aut con-

gregationes proficiſcuntur tanto quidem æmulationis ſtudio ac faſtuoſo vanæ contentionis ambitu, vt plerumque videas vnius homuncionis muricem trahere poſt ſe florem delibatum Italicæ nobilitatis & populo qui rerum quondam potitus eſt,

Orbem dum totum victor Romanus habebat,

Turpiſſimæ ſeruitutis iugum imponere. Has functiones tertia quædam multò gratior & magis ex genio ac ingenio meo poſtmodum excepit Bibliothecæ noſtræ videlicet, quæ non ita mediocris eſt per certas claſſes & forulos diſponendæ vt tot ſelecti libri quibus ipſa tanquam peregrinis mercibus inſtructa eſt non ampliùs cœnaculorum quod queritur Seneca ſed ſpatioſi cuiuſdam ambulacri

sacri ornamenta, imò verò Doctorum omnium queis me suadente mutuò conceduntur oblectamenta essent, sed quoniam turpe mihi & indecorum omninò fuisset (quod tu quoque sicut arbitror, non ibis inficias) mercatores illos imitari qui in medio preciosæ suæ supellectilis decussatis manibus sedent aut tubicines quorum proprium munus est ac officium,

Ære ciere viros Martémque accendere cantu

Licet nunquam manus cum hoste conferant; volui pariter & ipse quibusdam tentamentis experiri, vt mihi non iam ampliùs Parisino sed Septimontano Romanus Helicon arrideret, vt mihi Musæ tot priscorum Heroum alumnæ fauerent, vt Genius ipse

loquendi & ſermones miſcendi tempus non habuerim, ſed nec inuiſendi quidem & oculis perluſtrandi tot & tanta Romanæ magnitudinis veſtigia quæ non alibi meliùs conſpiciuntur quàm inter excœſas rupes, diruta palatia, Pyramidas truncas, Columnas dimidiatas & mutantia faſtigia, quorum in ruderibus ſic immiſtæ ſunt & quaſi ſepultæ vel nobiliſſimorum iſtius temporis ædiculæ, vt heſterni illi Quirites videantur mihi prorſus in veteris Romæ, quemadmodum vermes in hominis aut equi cadauere, cumulatim ſerpere & tumultuosè per eius viſcera flexuoſis orbibus moveri, adeò promptum eſt hic & communi fermè omnium vſu receptum inter inſanos antiquorum conatus verſari & quocunque te

conuertas non modò templorum & Thermarum minas inspicere,

Sed Curios jam dimidios, humeróque minorem
Corvinum & Galbám auriculis nasóque carentem,

Nec mentiar sanè si dixerim mihi sæpiùs in mentem venisse quasi racemationes quasdam aut spicilegia post diuersos Auctores qui jamdudum in hac antiquitatum vindemiatione desudarunt, instituere, & perscrutari diligenter quantum vnicuique istorum fidei tribuendum sit & quid verum aut falsum, quid vtile vel vanum, quid fictum aut genuinum in eiusmodi signis, tabulis & ædificiis censendum sit, præclara & facili methodo explicare, nunquam enim, sat scio, tibi persuadere posses Clarissime Pratæe, quam dili-

genti

genti ac veraci Xenagogo & exploratore res istæ indigeant, quæ propter ineptissimam vulgi traditionem & innatum probis omnibus vetustatis amorem, miraculum sui penes ignaros faciunt & hospites incautos ludificant plerumque ac decipiunt, sed oua tibi mitto subuentanea & vota narro irrita cùm itinere quod nobis in Pirentes & Flaminiam sub Esurialibus feriis instituendum est, libertas erepta sit quidquam ampliùs de istis laboribus cogitandi. Habes igitur remoras absque quibus fuisset officium hominis tibi deditissimi tuique obseruantissimi sedulò exsecutus fuissem; quod verò singulari tua humanitate fretus & de tuo in me amore nihil tam longa cessatione detractum iri suspicaris, hoc tamdiu distuli,

en ſiſto me & coactum & confitentem reum quo mihi facilius quidquid eſt peccati indulgeas & magna me ſimul cura ac ſuſpicione liberes, ego ſiquidem qui tanti facio tuam egregiam indolem moribus ſuauiſſimis & acri judicio temperatam, quanti fortaſſe nullam alterius tecum in gratia perpetuo remanere majorem in modum deſideró, nec aliud abs te in præſentia peto niſi vt recentem ſemper mei memoriam teneas, atque certiſſima tui in me amoris indicia, quemadmodum te non ita pridem peculiari titulo feciſſe ex meorum literis cognoui, oſtendas, méque nobiliſſimis tuis Cognatis iisdémque veteribus meis Amicis & Dominis Moubrunio & Vellairio commendatum habeas. Vale, Romæ die 25 Februarij 1632.

Doctiſ-

XXVIII.

Doctissimo Viro Domino Petro Gassendo Diniensis Ecclesiæ Præposito, Gabriel Naudæus S. P. D.

Lutetiam

NOn possum non gratulari vehementer felicitati tuæ, Domine Gassende, qui per tot scopulos semel incepta nauigatione Physicæ Epicureæ portum tandem attigisti; sed longè vehementiùs mihi gratulandum esse arbitror, quod apud te statuisti nullum iter suscipere, nec in Græciam, aut aliam Mundi plagam cogitare, priusquàm totum id quod superest in Moralibus negotiis eodem studiorum impetu absolueris, integrámque Epicuri Philosophiam ab hominum contemptu & temporum injuriâ laudabili admodum, ac strenuo co-

natu vindicaris. Ita enim consilij tui ratio, quam Elæo pariter non displicere ex eius literis cognoui, non me solum hoc magno timore ac metu liberauit, quem ex rei difficultate, ne vnquam ipsa perficeretur animo meo conceperam: Sed mihi præterea spem non mediocrem iniecit, priores Epistolas meas, in quibus tam ardenter hoc vnum a te flagitaui, eo tibi gratiores fuisse & magis acceptas, quòd Amicorum tuorum consiliis & omnium Eruditorum votis fuerint ipsæ persimiles, & ab eodem veluti genio dictatæ. Quamobrem finem nunc impono Paræneticis meis sermonibus vt tibi suppetias veniam & in tam præclaro ad difficili negotio animosè desudanti breuiter subindicem quæ vel officio meo inseruiens,

uiens, vel tuis petitionibus obtemperans, tanquam huic Operi, quod præ manibus habes, maximoperè conducentia in quibusdam cùm locis, tum Auctoribus adnotaui. Et verò licet multa sint, eadémque penitùs diuersa, de quibus te in hac Epistola conuenire statui, Amicissime Gassende, nulla tamen potiori iure præcedere debent & narrationis exordium ducere quàm ea, propter quæ ipsamet Epistola à me suscepta est. Accipies igitur vnà cum præsentibus literis figuram Epicuri Monogrammam, qualem ipsum Diis omnibus affinxisse auctor est Cicero, aut potiùs si Plinium audire mauis, picturam linearem & rudiori tantùm penicillo delineatam, prout ipsa cernitur vnà cum Socratis & Diogenis ad ostia in-

terioris Palatij, quod eſt in hortis Ludouiſianis accuratiſſimi Sculptoris alicuius cælo licet non admodùm antiqui in albo marmore exſculpta & nulla ſui parte, quantum animaduertere potui, mutila, ſed integra, docentis habitu, chartaceum aliquod Volumen manu dextrâ complectentis, ſiniſtrâ molliter & placidè ſuper genua demiſſa. Capite verò ſuâ caluitie & protensâ ac rugis exaratâ fronte admodùm notabili. Sed quod tamen Eminentiſſimi Cardinalis mei Pictor Henricus ab Hovven non adeo graphicè & cum illo ſpiritu quaſi latente exprimere potuit, qui lapidem ipſum vberiùs animare & Epicuri mentem in oculis ac vultu repreſentare magna cum delectatione conſpicitur. Auſim nihilominus audacter affirmare

mare parùm aut nihil omnino differre hanc Epicuri Ludouisiani faciem ab ea, quam ex veteri gemma inter Iosephi Scaligeri curiosam Supellectilem diligenter asseruata primùm in lucem protulit Amicus tuus singularis, idémque Vir eruditissimus & seculi nostri delicium Erycius Puteanus in Epistolarum suarum reliquiis, vbi ad Maximilianum Plouuerium scribit, hanc siquidem eandem esse, quam tuo mihi nomine Tubertus Ocella transmisit vtriusque diligenti inspectione & integra ac absoluta similitudine facili negotio deprehendi. Si verò postmodùm aliam inuenerim, quæ ab istis duabus vel tantillum differat, vtar eiusdem Pictoris operâ, quam mihi libenter accommodare solet vt tibi morem geram, & bonis.

etiam ac eruditis omnibus, quorum maximè intereſt veram adeo celebris Philoſophi effigiem vnà cum ſuis dogmatibus é tenebris in lucem proferri, atque vt laboris quem circa ipſorum collectionem ſuſtines in partes quoque deſcenderem. Quæſiui non ſemel à Leone Allatio & Luca Holſtenio, qui hic præ cæteris in Græcorum Auctorum lectione & Manuſcriptorum tractatione verſatiſſimi ſunt, num recordarentur ſe quidquam vnquam aut legiſſe aut animaduertiſſe in Vaticana & ſuis vel Amicorum Bibliothecis, quo tuum opus locupletare poſſent: Sed vterque fatum accuſauit, & paupertatem ſuam cauſatus eſt, niſi forſan velis pro non nihilo ducere fragmentum illud Græcum librorum Diogenis Laërtij Baſileæ quondam

quondam editorum, in cuius margine quædam annotauit ad librum decimum Thomas Aldobrandinus, quæ non reperiuntur edita cum ſuis notis ad nouem priores libros eiuſdem Diogenis Laertij. Hoc verò qualecunque ſit, recipies cum libris quod nuper ad D. Moreau tranſmiſi, & ſi quid inde cognitionis hauries, gratiam habebis Holſtenio, qui me inſuper admonuit Heronem initio libri de Spiritalibus Tractationem inſtituere de Vacuo ad mentem Epicureorum, quos inter hunc non vltimum extitiſſe pluribus argumentis confirmat. Ad me verò quod attinet, nihil quoque haberem de quibus te monendum eſſe operæ pretium arbitrarer, niſi dum libros quoſdam Saturnalibus iſtis feriis perfunctoriè ſatis euol-

uerem, casu deprehendissem Muretum nostrum cap.16. lib.11. variarum lectionum Agellium accusare quòd Epicurum jure à Plutarcho reprehensum frigidè atque ineptè tutari conatus sit: Et Cleomedem lib.2. μετεώρων cap.1. grauiter & copiosè aduersus eundem Epicurum inuehi, quod Solis orbem non majorem esse quàm vt à nobis Tubo cernitur, asseruerit. Addam & hunc ipsum insimulari grauiter à Casaubono ruditatis & barbariei quam ipsi peculiarem fuisse passim ostendit Commentariis suis ad Diogenem Laërtium & animaduersorum in Athenæum cap.2. lib 5. 8. 12. & 13. lib. item 12. vbi vocem ὑπεντρώματα & multas eiusmodi similes in examen Criticorum more adducit. Sed isthæc omnia vix est vt credam.

dam à te jamdudum non fuisse animaduersa, quare si repetita displicent, hoc saltem quod te nouitate sua delectet, accipe, Marcus Antonius Bonciarius ex Schola & institutione Mureti, Humaniorum literarum Professor cum longa docendi consuetudine, quam integro ferè vitæ suæ curriculo Perusiæ sustinuit, tum etiam variorum librorum, quos omnes literati mirantur ac suspiciunt, editione celeberrimus testatur, in Operum suorum Catalogo, quem sub finem Rhetorices à se compositæ & ibidem anno 1601. editæ in 8. apud Vincentium Columbarium attexuit se librum composuisse cui titulum fecit, *Epicurus, siue Dialogus de antiqua Philosophia, in quo efficacibus argumentis & doctorum Virorum testimoniis probatur ne-*

minem de priscis Philosophis accessisse propiùs ad veritatem, quàm Epicurum, contra nullos ab ea longiùs recessisse quàm Stoicos. Vtrùm verò talis liber in lucem prodierit, nondum liquet, quoniam ab ipso Bonciario inter edendos reponitur & parum abest vt credam idem omnino huic, quod similis argumenti libro Marij Philelphi quem tibi ex Appendice ad Trithemium de Scriptoribus Ecclesiasticis paulò ante discessum meum indicaueram contigisse; nempe vt si editi sint, pro non editis tamen haberi possint, quandoquidem nec eos vidi, nec alios vnquam qui ipsos viderint, inueni. Verùm heus tu semper auditor, nunquam nè repones? ita sanè nolim facias, méque silentio eneces, qui ab eloquio tuo vt doctissimi & mei aman-

amantiſſimi Viri famam expecto; en igitur ad quod reſpondere poſſis & debeas? Quærit à me frequenter celeberrimus in Collegio Sapientiæ Profeſſor & quotquot hic degunt Medicorum doctiſſimus Alſarius à Cruce (quem vt primum ſalutaui, Lucretianis verſibus Commentario verè Philoſophico illuſtrandis occupatum inueneram) num ex Epicuro tuo talis lux huic Epicureo Poëtæ affulgere poſſit, vt hic ampliori & aliunde mutuata non indigeat, quoniam ſi illud in te recipis, ipſe totum, quidquid inde ſperari laudis poſſit & honoris tibi relinquet, nec eodem campo decurret,

In quo magnus equos Aruntis flectit alumnus.

Secùs verò opus iam faſtiditum & pro derelicto habitum Alſarius

resumet, illudque ab vmbilico ad pilos & vngues extremos quanta potest fieri diligentiâ perducet; quare tuum est nunc, humanissime Gassende, tale mihi responsum insinuare, quo vt rei veritati, sic vtriusque vestrûm beneuolentiæ & comitati ex integro satisfactum fuisse vnusquisque intelligat. Sed dum ista pro Amico impensiùs rogarem, ecce commodùm mihi traditur ab Eminentissimo Cardinali meo Nundinarum Francofurtensium Catalogus, in quo Philosophiæ & Alchymiæ Fluddanæ clauem inueni, siue Roberti Fluddi Armigeri & Medicinæ Doctoris ad Epistolicam tuam pro R. Patre Marino Mersenno Exercitationem Responsum. Veriùs tamen ego dixerim Responsionis titulum; nobis enim

qui.

qui Romæ vivimus non licet esse tam beatis vt libros omnes absque metu & delectu penes nos habere possimus; sed nec mercatoribus ipsis Bibliopolis quidquam hûc aduehere concessum est quod examen ignis perhorrescat, non modò Lutheranis, sed etiam Paræcelsistis ob blasphemias vtrisque commune sæpe sæpiùs intentatum. Quare cùm hoc illo nomine atque insuper vasto ipsarum pondere Fluddanæ compositiones, quibus nunc deferendis vix onerariæ sufficerent, communi ad nos aditu prohibeantur, fac, oro te vehementer & obtestor ne diutiùs ipsorum ignoratione macerer, quæ aduersus tuam Epistolam effuderit suo more ac effutierit tam obscurus & imaginarius Philosophus; nec istud tantùm, sed

hoc insuper postulo vt quid & quomodo scripserit, quidve illi & quomodo responderis (si tamen homini tam impensè nugaci respondendum esse duxeris) breuiter subindices, quod nihil est aliud quàm sui libri & tuæ Responsionis Synopsim petere: hæc enim non mihi tantùm gratissima, sed doctissimo iuxta ac Eminentissimo Cardinali Francisco Barberino, qui tuæ pridem Velitationi locum in instructissima sua Bibliotheca esse voluit, & R. Patri Scheiner ac doctioribus Romanis, qui per me de tuis laboribus & studiis certiores facti sunt acceptissima futura est. Atque vt de ipsorum affectu dubitare sine culpa, tum verò de peculiari in te & propensa doctissimi Scheineri voluntate sine flagitio non potes; ostendit siquidem

quidem ſuis ad te literis quanti te faciendum exiſtimaret, & quùm illi nuper referrem, quæ de Mercurio ſub Sole die ſeptima Nouembris à te ſecundum Kepleri prognoſticon obſeruato, mihi vt cum illo communicarem præceperas, totus præ lætitia geſtiens Obſeruationis tuæ ſingula verba laudauit, eóque diligentiùs & accuratiùs deſcripſit, quòd ipſo nubilo Cælo pr[illegible] & quibuſdam negotiis diſtractus, nihil omninò deprehendere potuit eorum, quæ tu adeò peritè ac ſubtiliter annotâſti. Optaret nihilominus videre Diagrammata totius Obſeruationis cum Solis diſco & poſitione lineæ Verticalis & Eclipticæ & Obſeruationis horam; itémque ſcire an tranſitûs hiſtoriam ſecundum omnes ſuas partes

& tempora descripseris, & vtrum Mercurius dum sub Sole ferebatur, maculæ tantùm alicuius, vel Planetæ instar apparuerit, cum pluribus aliis animaduersionibus, quas a te dubio procùl factas fuisse, pro summa quâ polles in rebus Astronomicis doctrina, persuasum habet. Interim verò se tibi plurimùm commendat & meis verbis gratias agit, quàm fieri potest amplissimas. Sed protrahitur sensim Epistola & communes prætergressa terminos in Orationis molem excrescit, quamobrem hoc tantùm addo, Amicorum meorum doctissime, vt persuasum habeas omnibus me officiis & perpetuo quodam in te studio & obsequio curaturum vt tuâ me beneuolentiâ gratissimâ literarum vicissitudine non prorsus indignum

num judices, quod maximum fore amoris erga me tui indicium semper existimabo. Vale & communes Amicos Elæum, Ocellam Theodorum cùm ipsos tibi videre contigerit, meo nomine saluere jube. Dabam Romæ 6. Martij 1632.

XXIX.

Illustrissimo, Doctissimóque Philosophiæ ac Medicinæ Doctori, & Professori in Augustissima Sapientiæ Schola Primario Domino Vincentio Alsario Crucio, Gabriel Naudæus S. P. D.

Romam

STatueram apud me cùm primùm Româ discessi, Alsari Doctissime, Epistolam longiorem ad te dare, quæ & propensæ meæ in te voluntatis ac obsequij signum esset, & te simul itineris ac totius rerum nostrarum status certiorem

efficeret, neſcio tamen quomodo tales, mihi remoræ injectæ ſunt, vt iſtud non niſi tardiùs omninò quàm voluiſſem, præſtare potuerim; dicam tamen ingenuè quod tu quoque veriſſimum eſſe tibi perſuadebis, plures illas quidem & grauiſſimas omninò extitiſſe, quanquam non eſt opus nunc vt ad dicendum de ſingulis aggrediar, cùm vna tantùm præter cæteras me maximè ab hoc officio abduxerit, quod ſtatim atque Gattæum acceſſi, tam egregia, támque luculenta narratio mihi facta eſt de ſumma morum integritate, propensóque in humaniores literas animo, quo ſe plurimum effert atque extollit ſupra reliquos ætate pares illuſtriſſimus adoleſcens Fabricius Comes a Balneo Eminentiſſimi Mecenatis mei Nepos meritiſ-

meritiſſimus, vt ſtatim in animum induxerim tam laudabiles conatus pro eo quantum in me ſitum eſſet promouere. Quare etiam ſi tunc eſſem omni librorum præſidio, quod ad id omninò neceſſarium videbatur deſtitutus, aggreſſus ſum Syntagma quoddam de liberali ſtudio contexere, in quo multa quidem dixi non è trivio ſaltem vt mihi videtur petita, ſed de quibus tamen nihil apud me ſtatuam niſi quod poſtquam librum acceperis, conſentaneum tibi videbitur acerrimo vt grauiſſimarum diſciplinarum ſic & humaniorum Cenſori. Hoc autem breui futurum ſpero quandoquidem liber hic qui decem vel duodecim ad ſummum folia implere poteſt, prælo jam demandatus eſt, illius juſſu atque auctoritate, cui

nihil concedere non debeo. Interim ardeo incredibili quadam cupiditate tuum illum de Vesuvio tanta selectissimarum rerum copia, subtilissimáque causarum indagine refertum accipiendi, de quo & rumor jam vbique percrebuit & maxima præsertim & literatorum omnium, qui hîc sanè non pauci reperiuntur, ac summa prorsus expectatio, quam non frui modò egregia creberrimáque tui nominis apud illos commemoratione sicut amicitia nostra postulare videbatur, sed auxi insuper totius operis solemni ac præclara commendatione, quod veritati fuit omninò condonandum, noui siquidem,

Quàm sese ore ferens quàm forti pectore & armis,

Ad hoc opus conscribendum acce-

accessisti vt nihil aliud de eo dicendum sit nisi summi illius Alsarij fœtum esse, cui quemquam istius tempestatis Medicorum ac Philosophorum æquare non liceat. Mihi sanè quid aliud verius dixerim inpræsentiarum non suppetit, qui in te exquisitam doctrinam ac liberalium Artium scientiam semper admiratus sum, postquam scripta tua suauissimo quodam eloquentiæ Nectare delibuta magna certè ac plenissima cum animi mei satisfactione euoluere cœpi. Cæterùm quoniam paucis abhinc diebus venit mihi in mentem duorum non postremæ Classis Pœtarum, qui illud eleganter confirmant quod de cineribus Vesuuianis a Procopio & Cassiodoro dictum est, nempe quod si quandoque accidit vt ve-

hemens & impetuosus quis ventus durante incendio sæuiat, ita in summum cineres illi tollantur vt a quoquam videri non possint, & antequam terram attingant in loca oppidò distantia perferantur, horum idcircò versus ad te transmittendos esse duxi, vt si fortè diligentiam tuam effugerint (quod equidem fieri potuisse vix mihi persuadeo, cùm illa in omni re pertractanda maxima prorsus esse soleat) habeas me tanquam ipsorum Nomenclatorem; enim verò primus inter illos occurrit mihi Sylius Italicus, qui in vltimo Punicorum hunc in modum canit,

Sic vbi vi cæca tandem deuictus ad Astra
Evomit pastos per secula Vesbius ignes;
Et Pelago & terris fusa Vulcania pestis

Videre Eoi monſtrum admirabile
ſeres
Lanigeros cinere Auſonio caneſcere
lucos

Alter verò fuit Valerius Flaccus qui Argonauti non hoc idem tali modo expreſſit,

Sic vbi prorupti tonuit cum forte
Veſeni
Heſperiæ Lethalis apex vix dum
ignea montem
Torſit hyems jámque Eoas cinis in-
duit vrbes.

Tu verò, Alſari Doctiſſime, ſi operæ pretium exiſtimaueris mihi ſignificare quouſque tandem Typographi tui opera progreſſa eſt & intra quod tempus Veſuuium ardentem Philoſophicè, omniúmque mentes copioſa tua luce illuſtrantem oculis vſurpare potuerimus, gratam eſſe tibi hanc animi

mei significationem ac meum studium non injucundum putabo. Vale Medicorum æquè meritò Princeps ac Principum Medice & Baldum Baldum Eminentissimi nostri Cardinalis a cura valetudinis vnicum, meritissimúmque quem ob eximias virtutes, singularémque eruditionem plurimi jampridem facio, meo nomine saluere jube. Dabam Vrbini die 17. Augusti 1632.

XXX.

Eruditissimo Viro, Domino Leoni Allatio Sacræ Theologiæ nec non Philosophiæ & Medicinæ Doctori, Gabriel Naudæus S. P. D.

Romam.

VT vehementem amorem deprehensa semel animi pulcritudo concitat, ita profectò amaui te non mediocriter, Allati Doctis-

Doctissime, postquam Eustathius tuus secundis flatibus in Galliam appellens Parisiense Mineruium fama tui nominis sanè quàm egregia & perrennè victura compleuit. At verò vt primùm te vidi incredibili prorsus candore ad omnem humanitatis rationem effictum & variis quidem de rebus, sed iis præsertim differentem audiui, quarum cognitione imbutus feliciter aggrederis,

Scripta vetustorum detenebrare Patrum;

Diuini certè aliquid reperiisse mihi visus sum, aut potiùs præsens aliquod Numen intueri, ita quidquid in homine sublime est & excelsum fauente natura possides, quæ te non modò preciosissima literarum suppellectile locupletem, sed iis præterea mori-

bus exornatum esse voluit, vt cùm Romæ quidem multos salutarim doctrinæ laude præstantes viros, rarum profectò inuenerim qui tecum doctrina & affabilitate paria facere possit; neminem certè quem adeò facilem & humanum, ac in studia & vota mea propensum habuerim. Sanè juuat me non mediocriter illius diei meminisse quo te primùm Vaticanæ Bibliothecæ Græcos euoluentem Codices aut veriùs thesauros aspexi, atque etiam cogitatio illa non mihi potest esse non jucundissima, quæ mihi in memoriam reuocat tot blanditias & suauitates, ac vrbanioris vitæ officia quibus me inter priuatos lares postea excepisti & totum deuinxisti; cui enim me potiùs deuinctum profitear quàm illi cui cum mihi nulla

nulla ante intercessisset consuetudo, plura tamen in me contulit quàm vel ab amicissimis hominibus & magna mecum necessitudine conjunctis potuissem expectare. Quare cùm partes meæ sint ita me in posterum gerere, vt tot tantáque in me studia contulisse te nunquam pœniteat ingrati jure merito postularer, quòd non priùs istas ad te dederim nisi me ab hac officij mei & grati animi testificatione citiùs exoluenda retardatum fuisse, multis iisque grauissimis de causis ostendere possem, quarum vt singulas non moueo, scito tamen eam primam atque præcipuam diuturni silentij mei causam extitisse quòd statim a discessu meo ea sese obtulit occasio multa sanè pulcra atque egregia de Illustrissimo Comite

Fabricio, altero quidem Cardinalis mei Nepote cognoscendi, quæ me vehementer impulerunt vt edito quodam de liberalibus studiis Syntagmate, cùm me illi gratum testarer, tum etiam præclaros eius conatus pro eo saltem quod in me situm est, lubens adjuuarem, vt verò statim atque mihi istius in mentem venit, cœtera omnia abierunt, quæ non modò de te viro mihi amicissimo, sed de carissimis quoque meis parentibus jucundissima semper oblectatione retinere consueueram, addo mihi & librorum & amicorum quibuscum ea de re sermones conferre possem præsidiis destituto, intensissima mentis cogitatione enitendum fuit vt quod Gattæi & Montisscutuli solitudo mihi denegabat, id totum supplerem

plerem ex memoria & ingenio. Quamobrem æqui bonique consulas velim si toto illo duorum Mensium tempore, quo me non modò labor iste detinuit, sed variæ simul & crebræ locorum mutationes exercuerunt, nihil a me literarum accepisti, cùm alioqui singularis tua in me beneuolentia postularet, vt hoc me statim a discessu officij genere absoluerem, quod vt facias, pluribus a te verbis non petam ne de tua comitate dubitare videar, aut quanta sit moderatio naturæ tuæ & animus tum mihi amicissimus, tum etiam simplex & apertus ignorare maximè cum proximis ad te meis librum hunc comitem sum daturus, qui tam grandi culpæ occasionem præbuit vt acri tua censurâ pœnas luat & naturæ tuæ de-

Fabricio, altero quidem Cardinalis mei Nepote cognoscendi; quæ me vehementer impulerunt, vt edito quodam de liberalibus studiis Syntagmate, cùm me illi gratum testarer, tum etiam præclaros eius conatus pro eo saltem quod in me situm est, lubens adjuuarem, vt verò statim atque mihi istius in mentem venit, cœtera omnia abierunt, quæ non modò de te viro mihi amicissimo, sed de carissimis quoque meis parentibus jucundissima semper oblectatione retinere consueueram, addo mihi & librorum & amicorum quibuscum ea de re sermones conferre possem præsidiis destituto, intensissima mentis cogitatione enitendum fuit vt quod Gattæi & Montisscutuli solitudo mihi denegabat, id totum supplerem

plerem ex memoria & ingenio. Quamobrem æqui bonique consulas velim si toto illo duorum Mensium tempore, quo me non modò labor iste detinuit, sed variæ simul & crebræ locorum mutationes exercuerunt, nihil a me literarum accepisti, cùm alioqui singularis tua in me beneuolentia postularet, vt hoc me statim a discessu officij genere absoluerem, quod vt facias, pluribus a te verbis non petam ne de tua comitate dubitare videar, aut quanta sit moderatio naturæ tuæ & animus tum mihi amicissimus, tum etiam simplex & apertus ignorare maximè cum proximis ad te meis librum hunc comitem sum daturus, qui tam grandi culpæ occasionem præbuit vt acri tua censurâ pœnas luat & naturæ tuæ de-

formitatis & meæ in te tarditatis ac negligentiæ; heri siquidem illum Typographo qui hîc vnicus est, excudendum commisi, ita jubente & quidquid ad istud negotij sumptus faciendum est, liberaliter subministrante Eminentissimo meo Mecenate, qui cùm multa in me beneficia vltra meritum contulerit, hoc insuper addere voluit quod esset præter spem omnem meam ac votum. Et verò hoc vnum solatur me non mediocriter & reficit, quod etiam si labor iste meus non fuisset in causa cur ad te citiùs non scripserim, nulla tamen istud faciendi sese obtulerit occasio, si hanc demas, quâ meum in te obsequium & propensæ voluntatis testem animum significare omninò debui, cùm nihil hîc inuenerim aut in

aliis

aliis locis per quæ nobis iter suscipiendum fuit, de quo ad te scribere operæ pretium esse existimarim, nullásque adhuc responsiones acceperim ad illas, quas vnà cum tuis in Galenum emendationibus, variisque lectionibus Lutetiam misisti. Quod equidem euenire censendum est ob retardatam, interceptámque vel militum incursionibus, vel Magistratuum edictis, qui diuersis in vrbibus sanitati tuendæ proficiscuntur Tabellariorum nostrorum diligentiam, non autem obliuione tui, sed librorum, quos hactenus feliciter elaborasti, & de quibus certiores per me facti sunt qui illic in literatorum censu habentur præcipui, ignoratione; cùm in vltimo fasciculo literarum quas illinc accepi, se tibi plurimùm com-

mendent cùm Moræus & Burdelotius, qui ſuppetias quaſdam ex Bibliotheca Regia atque etiam ipſorum priuata ad illud quod de patria Homeri jam antè meditatus es, ſe breui tranſmiſſuros profitentur, tum Petrus ille Gaſſendus Vir profectò capitalis & mira ingenij felicitate qua per omnes ſcientias æquè ſe diffundit haud abſque ſtupore ſpectandus, cuius vt mentem ſic & verba quibus illam conſignauit, non ingratum tibi fore exiſtimaui ſi candidè ac ingenuè referrem, quare en illa? *Saluta verò inter cæteros eruditum Allatium de quo ſæpe ex Burdelotio operum ipſius & demonſtratore & laudatore ſermonem conſerui*, ex quibus quantum ipſe honoris ac gloriæ & æſtimationis apud Gallos noſtrates & illos quidem haud fatui palati,

lati, vel obæſæ naris conſecutus ſis, per te ipſum ſatis conjicere potes. Reliquum nunc eſt vt mihi de tuis quoque laboribus ac ſtudiis aliquid ſubindices, tibique omninò perſuadeas te a me tanti fieri quanti alium profectò neminem; vt ſi quando eorum rationem inibis quos eximiæ tuæ virtutis admiratio amicos tibi fecit, me quoque ſi videbitur eorum adſcribendum numero exiſtimes. Vale ac diſertiſſimo Viro G. de Simeonibus plurimam meis verbis ſalutem dicas, cui velim prætered vt ſequentes verſus, quos inter equitandum fudi, ſi tibi priùs atque illi probabuntur, cum reliquo ferali apparatu, cuius ſe non modò ſponſorem ſed auctorem præcipuum exhibuit, edendos committas,

Cum Musis dilecta Cohors, Aleandre sepulchrum *(ret,*
Hoc tibi Phœbeis versibus extrue-
Obstupui varias tot in vno funere Gentes
Eloquio similes nobiliore loqui;
Sed tacitus dixi, Mortali talia dentur
Immortalem te quid pia verba iuuant?
Ite leues Elegi, pullate, cedite vestes;
Non facit ad laudes Nænia vestra Dei?

Dabâm Vrbini, die 18. Augusti 1632.

XXXI.

Admodùm Reuerendo Patri, Fratri Thomæ Campanellæ Philosophorum ac Eruditorum Principi, Gabriel Naudæus S. P. D.

Romam

SI quis est inter literatos homines, quibus cum aliqua mihi necef-

necessitudo Romæ intercedit, cuius vel colendæ virtutis, vel obseruandæ dignitatis summa fuit mihi semper ac propemodum incredibilis voluntas, tu ille profectò solus esse potes, Reuerende Pater Campanellæ, postquam jucundissimo tuo conuictu, eruditionis præstantia, & meum suauitate toties recreatus, non equidem non debeo gratum ac memorem tot beneficiorum animum tibi consecrare. Quamobrem nec justè factum nec omninò etiam consulte tibi videtur, quòd me ab officio literarum tandiu continuerim, quas tamen velut vnicum absentiæ nostræ solatium assiduis tu & quotidianis fermè precibus, dum adhuc vna versaremur, efflagitasti: Non est tamen propterea quod existimare de-

beas me amicitiæ tuæ, quam vt mihi conciliarem diuino quodam munere contigisse semper putaui fuisse oblitum, aut humanitatis eximiæ quam in me familiariter & peramanter excipiendo crebrò sum expertus, verùm huic me culpæ faciliorem ac majori cum libertate & indulgentia obnixum præbui, quod tantum mihi in maxima tua virtute & singulari beneuolentia præsidij constitutum esse arbitrarer vt etiam si diu tacerem plurimis distractus occupationibus, quæ me a scribendo auocarunt, sperarem nihilominus te meam excusationem benignè fuisse accepturum. Nunc verò & si nondum ab illis occupationibus liber de quibus scripsi jam copiosè ad eruditissimum nostrum Allatium, differre tamen ampliùs noluì

lui quin ad te literas darem, ne forsan te memoriâ mea excidisse putares, qui mihi penitùs hæres in visceribus, cuiúsque nomen vt in familiaribus colloquiis, sic & in libris meis tanquam illius genij, quo sibi vitam atque famam promittere possunt cum ambitione quadam frequenter vsurpo. Quin imò malè me habebat dum Romæ tam amanter ac placidè velut in tuo situ conquiescerem, quod non istud in literis similiter faciendi vlla sese offerret occasio, proptereáque torquebatur in dies & maximopere discruciabar tam longa discessus nostri expectatione persuasum habens absentiam meam, magnum mihi fore incitamentum vt ad te continuò scriberem, tuásque responsiones altissimis præclarissimarum rerum

cogitationibus reſperſas viciſſim elicerem ; ſed imprudens iſtud omnino feci & rerum ignarus, quæ mihi poſtea quominùs gratiſſima hac ſæpiùs ad te ſcribendi conſuetudine oblectarer non mediocri impedimento fuere ; cùm otium quod ſpe ac imaginatione conceperam, cuiuſque jucundiſſima recordatione per tot Romanas occupationes ſuſtinebar verſum ſit in operoſiſſimum negotium, de cuius fine non audeo certè quidquam adhuc tibi polliceri : hoc interim ſanctiſſimè jurare poſſum nunquam apud me tanti fore vel Syntagma de liberali ſtudio, quod ipſis duobus elapſis proximè menſibus in gratiam alterius Nepotum Eminentiſſimi mei Mœcenatis edidi, vel hiſtoriam Comitum Guidiorum, cuius

cuius a tenebris eruendæ,conſcribendæque prouincia mihi nuper ab eodem demandata eſt; vt quidquam de meo in te amore, aut vt veriùs dicam de mea in te obſeruantia detrahatur; quæ quidem cùm nonniſi per literas ſe tibi probare poſſit, fac, amabo te Dulce Decus meum,vt ſi hæ tardiùs tibi redditæ fuerint, non ingratum me & immemorem eſſe tibi perſuadeas, ſed grauiſſimis occupationibus vel aurium tenùs immerſum, atque adeo vt quibus nunc diſcrucier intelligas; luctandum mihi eſt, dum editionem iſtius Syntagmatis juſſu Mœcenatis mei vrgeo, non modò cum characteribus eroſis & nimia vetuſtate obtuitum pene ipſum effugientibus, aut cum atramento ipſâ fermè niue candidiore, prælóque diuerſis

ſui partibus ac velut membris mutilo, ſed prætereà cum duobus ineptiſſimis hominibus, quibus horum omnium cura ad certum tempus commiſſa eſt, ita vt niſi tertij cuiuſdam in literarum plumbearum nexu & compoſitione verſatiſſimi ſubſidio adjuuarer conclamatum prorſus foret de eius Opuſculi editione, quæ nunquàm tamen ſic omni meo conatu atque diligentia accurrari poterit vt non turpiſſima conſpiciatur, pluribúſque næuis ac pallore & interjacentibus lineis deformata. Quo factum eſt vt ipſe tandem in animum induxerim Exemplar vnum in Galliam ad communes Amicos tranſmittere vt illud ſimul cum elegantiſſimo tuo eiuſdem fermè argumenti Opuſculo elegantioribus Typis edi procurent;

rent; quæ ſanè non dubito quin libenter ac commodè facturi ſint cùm propter te cuius doctrinam mirantur & ſuſpiciunt, tum etiam propter me cui nihil non concedere ſolent quod ſit vtile ac honeſtum: Et verò cùm ſub diſceſſum meum literas quaſdam tibi tradiderim ab optimis viris tuique amantiſſimis Dominis Elia Diodato & Petro Gaſſendo ad quas nondum reſpondiſti, poteris hac oblata occaſione de tuis iterùm laboribus familiariter cum ipſis per literas colloqui, ſimúlque tertiam ſubnectere ad virum maxima mihi prorſus neceſſitudine conjunctum, omniúmque quos vnquam nouerim ſapientiſſimum, integerrimúmque Dominum Mathæum Vayerium, cuius tunc quoque temporis Epiſtolam tibi

perlegi, in qua se tibi plurimùm commendabat & quærebat insuper quisnam fuerit Legislator ille Cinghius & 24. Philosophi naturales de quibus habetur mentio Atheismi tui triumphati paginâ 3. præterea quinam sint 25. alij eiusdem classis quos vix ab antiquissima temporum memoria potuisti inter legendum animaduertere, qua item in ciuitate Inscriptio hæc *pro falsariis* posita fuerit, de qua tu ibidem pagina 139. & vnde tandem habuisti quòd Moses liberos quosdam habuerit, quibus poterat Regnum & Sacerdotium relinquere quemadmodum videris asserere pagina 151. queis omnibus si in tua ad eundem Epistola copiosè satisfeceris non mihi tantum pergratum facies, sed virum insuper omni mea

præ-

prædicatione longè superiorem tibi deuincies, & cuius amicitiæ te nunquam pœniteat, huius verò sponsionis vadem me tanto lubentiùs exhibere possum, quod neminem habeo, qui cum majori familiaritatis atque beneuolentiæ vinculo conjunctus viuam. Quare non vnas tantùm sed quatuor a te literas expecto, quas simul ac eidem chartæ folliculo inclusas eruditissimo nostro Leoni Allatio committes, mihi quocumque tandem locorum fuerim transmittendas. Vale præclarissimum Ætatis nostræ Decus, ac fratri Pignatellæ, optimisque juuenibus & Fauillæ, & Ioanni salutem imperti quantam ipsi desiderare possunt maximam. Datum Vrbini die 21. Augusti 1632.

XXXII.

Illustrissimo Reuerendissimóque Domino D. Consaluo Durando Antistiti Feretrano, Gabriel Naudæus S. P. D.

Feretrum

ETsi mihi dubium non est, quin multis, iisdémque grauissimis studiorum & Curiæ Pastoralis occupationibus detinearis, Antistes optime, Doctissiméque, atque ea potissimùm causa fuerit vt quæstionem meam de Venenis, quam ad te non ita pridem transmisi, vlla mea Epistola comitatam esse noluerim, non ampliùs tamen continere me potui, quin hanc ad te darem, pellectus ad istud temeritatis & audaciæ summa illa beneuolentia, quâ me tam suauiter & perhumanè complexus es, dum istuc ad salutandum

dum Cardinalem meum venisti, & incredibili etiam prorsus eruditione ac flagranti literarum studio inuitatus, quo te præclara nominis commendatione florentem hac in effœta ætate, virescentémque sustines egregiè ac sustentas: Veritus enim sum cùm ego maximè confidam, in ea me esse apud te existimatione, opinionéque vt te propter tot eximias tuas virtutes mirum in modum suspiciam atque admirer, ne propensum in te hunc meum affectum non satis testarer si diutiùs tacuissem, & verò licet hæc mihi incitamenta non forent, cur ad te scribere deberem, ingrati nihilominùs jure merito postularer si de tuis Pastoralibus Epistolis, quibus me donatum esse voluisti, gratias tibi amplissimas non haberem,

quando istæ mihi non modò testes fuerunt propensæ tuæ in me voluntatis, sed ita me præterea delectauerunt vt nihil ipsis dulcius ac venustius, grauiúsque vnquam a me perlectum fuisse meminerim, quod idem eminentissimo quoque meo Mœcenati visum est, qui ita de te sentit vt nihil in lucem edas licet excultum summopere ingenio atque elaboratum industria, quin ex pertinaci tua studiorum ratione, acerrimóque judicio majora in dies expectari posse affirmet. Quamobrem cùm mihi gloriosum valdè ac honorificum istud munus fuerit, tuámque in me beneuolentiam conseruari mea multùm referat, doleo sanè vehementer quòd tuis in me meritis satisfacere verbis nedum re ipsa non valeam;
semper

ſemper tamen tibi gratiam ſummam habebo dum viuam, efficiámque obſeruantia & affectu meo ſingulari vt me non prorſus indignum judices, quem in tuorum clientelam admittas, in quam en etiam hoc Syſtema nouum ingenij mei partum trado, vt te Virum æquitatis ſeruantiſſimum, peritiſſimúmque non mei ſolùm ſed meorum quoque fautorem, ac ſi occurrat defenſorem habere poſſim. Vale, Antiſtes optime, Montiſcutuli Guidiorum, die 10. Septembris 1632.

XXXIII.

Federico Vbaldino, Iuueni Doctiſſimo, Gabriel Naudæus S. P. D.

Vrbinum.

PErcellit me vehementer, Vbaldine Comes, atque majo-

rem etiam in modum exagitat jucundiſſimæ conſuetudinis recordatio, quæ mihi tecum non exigua fuit dum Vrbini commorarer, vt hac inſtituta literarum viciſſitudine, quæ te menti animóque meo præſentem exhibeat, ſolatium quæram, leniménque huic acerbiſſimo dolori, quem meus illinc diſceſſus propter te, quem in oculis ſemper habebam, abundè mihi inpræſentiarùm ſuggerit atque ſuppeditat, neque enim mentiar ſi dixerim me ita fracto & exulcerato animo tuliſſe quod è conſpectu tuo quaſi fugiens euolârim, vt majorem nulla ex re quæ mihi vnquam acciderit, moleſtiam traxerim; careo ſiquidem non modò dulciſſimæ illius hilaritatis fructu quo me vel faſtidioſis cogitationibus intentum acutis

tuis

tuis dicteriis & blando facilique risu quotidiè persuadebas, dum vix dies effluerct quin ad me iſtis tuis leporibus & gratiis comitatus accederes, ſed inſuper ſuauiſſimo congreſſu, doctiſſimiſque ſermonibus tuis, quorum gratiſſima varietate ita profectò detinebar, vt niſi diremiſſet nos tempus & hora, te abs me avelli minimè patienter ferre potuiſſem, & nunc etiam quoties iſtorum venit in mentem, tunc ſanè mirum in modum angor tam ſtudioſum juuenem, adeò eleganti doctrina præditum moribúſque tam ingenuis & excultis exornatum, vt mihi cum ipſis præclarè omninò conueniret, repentè mihi fuiſſe ereptum in hanc Montiſcutuli noſtri ſolitudinem cum Eminentiſſimo Cardinale meo redeuntis

ſed bene eſt quod acerrimo tuo ingenio, pertinacique labore ſummam illam dicendi & ſcribendi facultatem adeptus es, qua non mediocrem huic meo dolori medicinam afferre poſſis, ſi te literarum officio non impigrum oſtendas, méque ſubinde admoneas tum de ſtudiorum ratione & bona valetudine tua, quæ mihi ſemper cariſſima futura eſt, cùm de præclariſſimi Viri & omnis meæ commendationis terminum longè prætergreſſi Iulij Veterani ac reliquorum Academicorum noſtrorum ſtatu, quibus cum gratias quas illi debebam quòd me in Academiæ tam illuſtris album nec merentem, nec petentem adlegerint, propter temporis anguſtias referre non potuerim, pergratum omninò mihi facies ſi ampliſ-

amplissimas illis copiosissimasque meo nomine reddideris, fidémque tuam interposueris me nunquam istius honoris quem præcipuum duco, immemorem fore, sed vbicunque locorum fuerim, ibi & Academiæ Surdorum laudes & honoris quem mihi detulit prædicationem & tot Academicorum dotes celebratas iri grato quidem sed imbecillo & inferiori calamo cùm nulla sit in me tanta vis dicendi, nullus tam vber eloquentiæ fons aut tam redundans vena facundiæ & quæ Vrbinatis istius Prytanæi famam at tot Sapientum, qui in eo conueniunt, loquendo æquiparet, nedum assequatur eloquendo: atque vt verùm fatear officij mei esse dudum intellexeram gratiarum istud munus ampliori quadam oratione

complecti, in qua disertiùs paulò atque elegantiùs animi mei sensum, affectúmque & gratitudinem in proceres Academiæ testarer, fusiúsque per singulorum laudes excurrere: At ita mihi omnia quæ volo in vita contingant vt talia cogitantem ecce obruit me ingratissima moles suppellectilis chartaceæ fugientibus plerumque ac ignorabilibus literis aut saltem capreolatim reflexis, condensisque apicibus munitæ. Sed mihi tamen vel hac ratione gratissima quod γνωρίσματα, siuè quemadmodum loqueretur Tertullianus Originalia instrumenta Nobilitatis Guidiæ complectitur, quibus enoluendis, eruderandisque dum me totum Eminentissimi Cardinalis mei jussu ocyùs accingo, fieri omninò non potuit

vt isto

vt isto me gratiarum munere exoluerem, quod nunc, Vbaldine mihi amicissime, eo lubentiùs in te transfundo, quoniam & ipse Academicus es, incredibili tua comitate non tantùm Iulio Veterano Viro certè grauissimo, sapientissimóque, sed omnibus cæteris gratissimis, queis nihil abs te profectum, non statim acceptissimum esse solet; tum verò quòd ea sis in me beneuolantia vt illud mihi denegare non debeas, eo etiam affectu vt non possis. Quare age, mi Vbaldine, procurationis munus gnauiter, & si quod a me vicissim, officium desideras, nullum esse scias adeò morosum, vel difficile quin possis confidenter experiri quantum me tibi tuæ præclaræ virtutis obnixum reddidere; Sanè quod vnum coram

adeò cupidè ne dicam ardenter efflagitasti vt elegantissimum Bartholomæi Riccij libellum de Imitatione ad te transmitterem, noluì diutiùs expectare quin istud facerem. Vtere ipso feliciter, id est liberè & modo quem tecum aliàs copiosè disserui cùm animos tibi adderem vt duobus illis Federicis Commandino & Bonauenturæ qui tam præclarè editis ingenij operibus de patria sua meriti sunt, tertius accederes. Vale & Michalorum Collegam tuum optimum atque doctissium senem, Manasanguium Oratorem dissertissimum cœterosque literarum & mei amantes ac studiosos pluribus verbis meo nomine saluta. Montisscutuli Guidiorum die 24. Septembris 1632.

Iaca-

XXXIV.

Iacobo Michaloro, Gabriel Naudaus S. P. D.

Vrbinum

MVlta tibi debeo, Michalori, senex optime doctissiméque, quòd me veluti parario ad Eminentissimum meum Cardinalem vti volueris, plura etiam debiturus si modestiùs mecum egisses, nec me in eleganti tua Epistola iis laudibus onerasses, quarum vix vmbram sustineo; mentiar tamen ni jucundissimum mihi fuisse dixerim, testem illam accepisse eximiæ tuæ in me humanitatis ac beneuolentiæ, licet cum ipsius veritatis dispendio conjunctam; ecquid enim beatius mihi, aut ex animo magis contingere potuit, postquam nihil æquè ve-

hementer & cupidè ac vinculum summæ tecum conjunctionis optaui? nisi vt in animum tuum penitus illaberer, méque egregia tua & excellenti commendatione dignum exhiberem, hoc verò quàm feliciter & abundè consecutus fuerim, & vidi sanè inpræsentiarùm ex ipsis tuis literis, & antea quidem ex maximis & incredibilibus officiis quæ in me contulisti, istud quoque perceperam. Quare cùm ipsa vsque adeò insolens ac inusitata propensæ tuæ in me voluntatis significatio me tibi summoperè deuinxerit, non erat omninò quod precibus vrgeres me ad officium commendandæ apud Principem meum declarationis illius, quam adeò solerter & eruditè circa Circulum Vrbanianum nuperrimè a clarissimo viro

Viro Erycio Puteano excogitatum elucubrasti, cùm istud mihi potius & quiduis aliud imperare debeas, & ipsa tua commentatio natiuo suo cultu ac nitore plurimùm se commendet, atque latenter se in omnium non occultos modò, sed animos etiam ac mentes insinuet, adeò clarè & facilè quæ in ipsius Puteani libro inuoluta sunt, euoluis, quæ obscura dilucidas, quæ implicita explicas; nouo huic & veluti lactario fœtui nondum plenis viribus confirmato, robur non tantum atque gratiam afferens, sed Medicinam præterea faciens nænis suis ac grauioribus morbis sanandis quàm maximè accomodam. Quod dum diço, ea simùl & Eminentissimi Cardinalis mei de hac tua lucubratione sensum ac judicium pro-

fero? cuius lectione quam per me sibi integram ac absolutam fieri voluit quanto par sit delectatus vel ex eo conjicere potes quod hac veluti promusside allectus, librum tuum de Sphæra eodem impetu fermè totum euoluit, ac sermonem postea longissimum traxit, de te & reliqua studiorum quibus meliores horas impendis ratione. Qua in occasione quid ipse præstiterim, malo ex obseruantia erga te mea conjecturam facias quàm ex fermonum quos tunc inuicem habuimus relatione, ne singulari tuæ modestiæ insidias struere videar, & officiorum, quæ in me contulisti, memoriam leui quadam assentatione prosequi. Interim verò quod ipse Eminentissimus Cardinalis mihi præcepit, non omittam, nempe vt gratias

tias suo nomine tibi referrem quàm maximas, offerrémque studium ac animum suum ad omnia tua commoda, quantum ipse obsequio & tam præclara animi erga illum significatione mereris propensum; ad me verò quod attinet quantum tibi debeo, quod sanè maximum est, tantum spondeo, & quoties tibi opera mea vti libuerit, agnosces, opinor, te nec immemori, nec ingrato beneficium contulisse. Salutem meo nomine plurimam dices egregio Medico Marco Antonio Tossio & Manasanguio, Oratori facundissimo, Vbaldino autem optimo ac humanissimo juueni eandem ipsemet dico, ita enim sibi me devixit præstantiâ ingenij & doctrinæ, integritate morum, suauitatéque sermonis ac consuetudi-

nis suæ vt ad nullum ferè lubentiùs quàm ad ipsum scribam. Cæterùm quæ de exotericis Maccij subindicas, quandoquidem editionis ipsorum spes decollauit, amabo te, Michalori senex optime, obstringere me potes memoria beneficij sempiterna, & præterea sumptum quidquid factum erit statim reddi tibi diligenter & cum fide curabitur. Vale & me vt cœpisti amare perge Dabam Gattæi die 3. Nouembris. 1632.

XXXV.

Baldo Baldi Medicinam Professori præstantissimo, Gabriel Naudaeus S. P. D.

Romam

CVm vtræque tuæ literæ mihi gratissimæ fuerint, Eruditissime Balde, tum verò posteriores eo e-

eo etiam gratiores extitere, quod intercepta meæ ad priores tuas responsione. singularem tamen in me beneuolentiam recentibus officiis declarasti, méque iis laudibus exornasti, quas etsi pudor meus non agnoscit, summoperè tamen mihi gratulor ob istum amorem, qui tibi homini tam acuto & perspicaci tenebras offuderit, eáque de meo Syntagmate sentire ac prædicare coëgerit, quæ nec tu quidem quanquam dissertissimus es alij cuiquam facilè persuadere possis. Sed video tandem quid causæ sit, cur in me tam multa officiosissimè simul & amicissimè contulisti, nempe & animum mihi facere voluisti ad præclarius aliquid aggrediendum, quæ tua est summa humanitas, & eadem veluti fidelia maximæ tuæ

in dicendo facultatis & eloquenciæ ſpecimen aliquod exhibere, quod eſt omninò induſtriæ & præſtantiæ ingenij tui tribuendum. Neque verò fruſtra vel incaſſum vtrumque præſtitiſti quandoquidem orationis tuæ majeſtati, mirificæque ſuauitati tantum nunc ab omnibus tribuendum eſſe cenſeo, quantum antea quidem doctrinæ & eruditioni tuæ ab illis conceſſum eſt, qui ſeu Blacuodæi noſtri hominis prorſus a literatorum plebecula ſemoti judicio, ſeu lectionum quas habes quotidie in prytaneo Romano ſubtilitate, ſeu librorum quos continuò ſcribis dignitate, ſeu denique artis ipſius quam tot ægrorum commodis indulges amplitudine nihil vnquam de te niſi præclarè aut magnificè locuti ſunt; laudibus

bus verò quas veluti per saturam in Opusculum meum conjecisti, tales profectò ad gloriam ignicu-los in me accendisti, vt oblata mihi sub id tempus ab Amico occasione, qui de libris politicis pleniorem aliquam informationem sibi transmitti postulabat, aliud subinde accurrandum, continuandúmque susceperim, cui vni dum meo more totus incumbo, facultatésque animi omnes acriter sollicito memoriam vt tot librorum titulos mihi repræsentet, imaginationem vt singulos disponat, judicium vt de cunctis sententiam aut veriùs censuram pronunciet, sanè factum est propterea vt nec gratissimis tuis, nec aliorum Amicorum frequentioribus literis respondere potuerim, priusquàm ardua ista & difficili *Bibliographiæ*

Politica compoſitione fuerim omninò ſubleuatus, quam equidem ſi tibi gratam aliquando fuiſſe cognouerim, non erit profectò cur operæ me pœniteat in ea collocatæ, aut temporis etiam in isto tenui Lemmate diligenter expoliendo conſumpti, præſertim cùm nullum vnquam mihi majorem fructum vigiliarum ac laborum meorum propoſuerim, quàm vt a tui ſimilibus probarentur. Quare ſi quemadmodum etiam enixè contendo æqui bonique conſulueris quod eiuſmodi negotio præpeditus tardiorem me in reſpondendo exhibuerim, nihil erit certè cur de felicitate mea conquerar, aut de ſumma tua & incredibili humanitate non eximiè ſentiam. Cœterùm cùm Epiſtolam quam ad priores tuas reſcripſi doctiſ-

ctissimus Alsarius noster vnà cum suis receperit, quemadmodum in iis, quas ad me postea dedit, testatus est. Amabo te Doctissime Balde ne peccatum istud mihi imputes quod alterius culpa fuit commissum & si quid in animo tuo opinionis de mea in scribendo negligentia fortè insedit, eam vt protinùs ejicias mea causa, nec pristinam tuam humanitatem mihi claudas rogo te etiam atque etiam. Vale, Dabam Massæfiscagliæ die 5. Martij 1633.

XXXVI.

Clarissimo, Doctissimóque Medico Domino Petro Seruio, Gabriel Naudæus S. P. D.

Romam

SI quantum tibi debeo, Petre Serui, ob literas quas ad me nuper dedisti, non minùs incredi-

bilis tuæ in me beneuolentiæ testes, quàm opinionis quæ in te ſemper de meis laboribus eximia fuit pleniſſimas, tantum ipſe perſoluerem non Epiſtolam hanc tenuem & natiua ſua macie penè languentem reponere, ſed me potiùs panegyrim inſtituere, oporteret, in qua mutuatis hinc & inde leporum illecebris, vernantibúſque elegantiarum floſculis, ingenij tui vim, atque præſtantiam efferre, doctrinæ varietatem commendare & operum etiam, quæ per improbos labores induſtria tua ſenſim elucubrat, modeſtia verò premit & ſcriniis ſuis mancipat, dignitatem ſummámque grauitatem exprimere poſſem. Hæc enim de tuis ſtudiis vera conſtánſque fama eſt bonorum & eruditorum omnium, qui te continuò diurnis noctur-

nocturnisque chartis impallescentem mirantur atque suspiciunt, & quorum nunc vel maximè fidem eleuare deberem, quos tuis officiis prouocatus & laudatus etiam impensè nullum præclarius mihi suppetat declarandæ meæ in te gratitudinis argumentum, & quod Græci dicunt ἴσον ἴσῳ referendi, quam prolixæ tuæ humanitatis & illustris doctrinæ, quas Romæ quidem paulo ante meum in flaminiam discessum præsens sum expertus & nunc etiam absens in literis tuis conspicio vadem me, imò vero præconem & tibicinem constituere vt sic paria tecum omninò fecisse viderer, & nomini tuo ac amico pectori meritæ laudis, encomium appinxisse; sed cùm istud potiùs esset virtuti tuæ injuriam facere, quæ longè major est

quàm vt priuata mei, vel cuiusquam alterius prædicatione augeri possit, & virilior etiam quàm quæ desideret veluti quodam adulationis colludio æqua lege censeri? Sanè ita est, vir præclarissime, & quoties me abs te laudatum esse profiteor, toties etiam video me ineptum fore, qui tuas ampliùs laudes sermonibus æquare debeam, ne vel fœneratam gratiam retulisse videar, aut verecundiæ tuæ repagula perfregisse. Quamobrem satiùs, opinor, erit vt indicto mihi de præclarissimis animi tui dotibus silentio hoc ipsum quod de qualicunque mea ingenij facultate, & quam equidem optimè sentio quàm sit exigua, dictum esse voluisti, totum humanitati ac beneuolentiæ tuæ acceptum referam, offerámque

mo

me promptum ad omnia quibus ingrati animi ſuſpicionem commodiùs poſſim effugere, tibique pro tuis in me ſingularibus officiis gratiam ſaltem aliquam obſequio referre, dum me imparem eſſe ingenuè profiteor, qui hoc ipſum præſtare poſſim eloquio, atque vt ab illis jam exordiar, de quibus te in gratulatoria tua ſollicitum eſſe nuper oſtendiſti; fama equidem fuit varijs etiam amicorum ſermonibus & literis huc & illuc diſſeminata prouinciã illam explicandi Medicos auctores quæ τοῦ μακαρείτου Lampagnani aliquãdo minus exritit in Sapientia Romana, ab Eminentiſſimo Cardinale Barberino fuiſſe in me collatam, ſed quam omninò gauiſus ſim talem exitum nactam fuiſſe qualem tu graphicè quidem adumbraſti, ne

tibi fortissimo Athletæ, aut doctissimo Zacchiæ ceterisque Medicis tamdiu jam in studio Medico desudantibus facem hanc pręcipuisse videar, cùm vos omnes lucem & nouum splendorem conciliare potestis, ego verò non nisi nebulas ac caliginem & meras tenebras effundere. Quod verò de annuo stipendio quod propter officium Medici naturalis accipiebat a Rege Christianissimo vtriusque nostrûm quondam amicissimus Dominus Thrullerius, sub finem tuarum quærebas, ego, doctissime Serui, gratiam illam ex integro sum consecutus, multúmque cùm eo nomine. Eminentissimo meo Mecenati me debere fateor, tum verò præcipuè quod dum eiusmodi pedicas injecit, quæ me per complures annos Ro-

mæ

mæ detinerent, occaſionem inſuper mihi præbuiſſe videtur, plurimùm ſanè antea a me deſideratam jucundiſſima tua conſuetudine diutiùs perfruendi, ex qua tantum me vtilitatis, ſuauiſſimáque voluptatis accepturum confido, quantum vnquam ſperari poteſt ab homine doctiſſimo, ſimul ac moribus ad vrbanioris vitæ rationem compoſitis prædito, quibus te præſertim de cauſis ita admiror, tantíque facio vt ad ſummam meam erga te obſeruantiam vix quidquam addi poſſe non ſit quod imposterum exiſtimes. Vale, dabam in Caſtro Giaggioli die 20. Septembris 1633.

XXVII.

Doctissimo Viro, Domino Petro Gassendo Doctori Theologo & Diniensis Ecclesiæ Theologo dignissimo, Gabriel Naudæus S. P. D.

Dinian.

BInas à te nuper accepi, doctissime Gassende, cùm vnas tantùm expectarem literas, sed quæ tamen plura mihi significarent de te, de Luillerio vtriusque nostrûm deliciis & Corculo, de Epicurea anastasi, & de singulari illo certamine, quod paulò ante meum è Gallia discessum cum Armigero Londinensi susceperas, quàm vnquam vsquam ex illis duobus & geminato vrbanitatis tuæ officio excerpere potuerim, adeò nempe occupatus es in otio vt mecum jam laconicè quædam tantùm insusurres ac veluti furtim & per

& per ſcitulam effutias, de quibus cum antea ſimul eſſemus, prolixos equidem ſermones miſcere conſueuiſti. Papæ! quæ tanta mutatio eſt hominem Philoſophum Pariſijs otio diffluere; Diniæ verò vel Aquis ſextijs, aut potiùs ruri degentē, temporum anguſtijs vrgeri, negotijs premi, & nondum ſibi diem vnum vindicaſſe, quo vel homini amiciſſimo, nobiliſſimáque ſtudiorum & opinionum communione deuincto, pectus ſuum denudare, vel datam fidem liberare poſſet! fidem enim ſi neſcis, aut potiùs ſi oblitus es, quam ſuperioribus ad me tuis oppigneraſti de judicio & cenſura Reſpōſionis illius quâ defenſionem tuam pro R. Patre Marino Merſenno Fluddus excepit, nunc requiro. Nec tantùm te interpello vt bonum no-

XXVII.

Doctissimo Viro, Domino Petro Gassendo Doctori Theologo & Diniensis Ecclesiæ Theologo dignissimo, Gabriel Naudæus S. P. D.

Dinian.

BInas à te nuper accepi, doctissime Gassende, cùm vnas tantùm expectarem literas, sed quæ tamen plura mihi significarent de te, de Luillerio vtriusque nostrûm deliciis & Corculo, de Epicurea anastasi, & de singulari illo certamine, quod paulò ante meum è Gallia discessum cum Armigero Londinensi susceperas, quàm vnquam vsquam ex illis duobus & geminato vrbanitatis tuæ officio excerpere potuerim, adeò nempe occupatus es in otio vt mecum jam laconicè quædam tantùm insusurres ac veluti furtim & per

& per ſcitulam effutias, de quibus cum antea ſimul eſſemus, prolixos equidem ſermones miſcere conſueuiſti. Papæ! quæ tanta mutatio eſt hominem Philoſophum Pariſijs otio diffluere; Diniæ verò vel Aquis ſextijs, aut potiùs ruri degentẽ, temporum anguſtijs vrgeri, negotijs premi, & nondum ſibi diem vnum vindicaſſe, quo vel homini amiciſſimo, nobiliſſimáque ſtudiorum & opinionum communione deuincto, pectus ſuum denudare, vel datam fidem liberare poſſet! fidem enim ſi neſcis, aut potiùs ſi oblitus es, quam ſuperioribus ad me tuis oppigneraſti de judicio & cenſura Reſpõſionis illius quâ defenſionem tuam pro R. Patre Marino Merſenno Fluddus excepit, nunc requiro. Nec tantùm te interpello vt bonum no-

men esse non desinas, sed hoc insuper abs te peto, vehementerque contendo vt me vel de nugis etiam & titiuillitiis tuis certiorem facias,& omninò quæ mihi,si corā adesses,exponere velles,ea ne graueris in chartam cuiuscunque modi fuerint conjicere. Probè siquidem nosti me quoque istud facere solitum fuisse, ac sæpiùs quæ præsenti vix narrarem ea perscripsisse, nempe charta meo judicio minimè est inter Amicos præscindenda, aut quod Orasius noster Tabero Religioni sibi esse dicit, prima tantùm facie depingenda, quasi Sinensium more nunquam ab aduersa membranarum parte nobis scribendum esset, vel literas ipsas ex Demetrij præcepto turpe foret sinistram legentis manum adimplere. Quare si me audis, quod

quod tibi dabitur, à seueriori Musarum cultura, subcisiui temporis, hoc totum in gratissima literarum cum Amicis vicissitudine tibi esse impendendum arbitrabere; sanè quantum ad me attinet, non committam vllo modo vt occupationes meæ, quæ non magnæ illæ quidem, sed interdum tamen multæ sunt, cogunt me vnquam minùs erga te officiosum esse quàm velum: Imò verò quod Mercatoribus interdum vsu venit vt si merces vasa non explent, fœnum atq; canabem & scruta inferciant, ita ego cùm non suppetent scriptione res dignæ quæ sors ipsa tulerit & obuia quæque arripiam, ne tecum paria fecisse non videar, aut aliquid ex antiqua mea consuetudine liberiùs cum Amicis meis confabulandi remisisse, sed ne te, qui

ſatis tuapte natura rerum cætera-
rum memores, de hac vna quæ
tibi forſan altiùs quàm vlla cordi
ſemper inſedit, admoneam, age,
mi Gaſſende, paulatim ad eam,
quę magis me verſat & coquit ſub
pectore curam deſcendamus, ac
demum illis tuarum literarum ca-
pitibus reſpondebo, quæ mihi vi-
dentur maximè reſponſionem fla-
gitare. Recordaris igitur, opinor,
quanto quámque incredibili deſi-
derio non te ſolùm, qui mihi ſem-
per non minùs quàm tibi ipſi carus
extitiſti, ſed omnia tua & egregia
præſertim, quæ tu ſubinde litera-
rum monumentis conſignare ſoli-
tus es, animi tui ſenſa fuerim vel
ab inualeſcente jam inter nos
mutua neceſſitudine proſecutus;
quare poſtquam mihi cuncta illa,
quæ dum adhuc ſuauiſſimæ tuæ
conſue-

consuetudinis fructu oblectarer, scriptis mandaueras, vel post meum è Gallia discessum publicæ hominum luci commisisti, reddita mihi cùm a te ipso, tum etiam ab Amicis fuerint: Sola autem quam te verisimile est omnino nuper ad R. Fluddum excudisse Responsio diligentiam hanc meam fefellerit. Amabo te, Amicorum suauissime, quonam istud fato, vel potiùs errore factum fuerit, parumper apud te dijudica; & si nihil quidquam vlla mei in te officij ac obsequij cessatione commerui, si nihil peccaui, quod mihi tam graui & acerba pœna luendum fuerit, fac, oro te atque obtestor, ne istius tuæ Responsionis expectatione diutiùs macerer, aut quod ipse Fluddus ad primos tuos volones reposuerit, ignorem, quod equidem si me

hactenus latuisse dixerim, res tibi erit non admodum creditu difficilis, qui sacris Ecclesiæ Sanctionibus damnata pridem aduersarij tui volumina, nonnisi difficulter & cum summo vitæ ac fortunarum discrimine isthuc à mercatoribus deferri posse, etiam si vastissima mole non præpedirentur, aut aditu reliquis etiam omnibus propter contagij metum intercluso, satis ipse jam intelligere potuisti. Deinde verò cùm me quasi testem assiduum habueris eorum omnium quæ sub initium istius velitationis à te gesta sunt, nunquam, opinor, cogitatione consequi posses quantum me pruritus quidam vrget quo tandem modo ipsa composita fuerit, intelligendi, vix enim adducor vt credam quod

Hi motus animorum atque hæc certamina tanta.

Licet

Licet inter apes verò Palladias & mollifices enata

Pulueris exigui jactu compressa quiescant.

Verùm postquam mihi semel frontem perfricui vt tecum audaciùs de multis rebus, quæ ad studiorum & otij tui literarij rationem attinent, pertractarem; age currente jam atque incitato calamo vt valeat Epicurus tuus, vt adolescat, vt ratiocinetur, vt se ab improborum & ineptorum calumnijs defendat, vt tibi atque Amicis placeat, vt Typographos vrgeat, vt publicum denique fauorem expectet, paucis exsequere? Ista siquidem de quibus attentus nonnunquam cogitare soleo, animum mihi haud mediocriter sanè perturbant, tot difficultatum in dies succrescente materiâ, sed hoc

præ cæteris me ſollicitum detinet quamobrem fiat, quod in alto illo tranquillo ſucceſſu, quo nunc perfrueris, in hac profundiſſima pace & quiete quæ tibi ſtimulos acres ad iſtud Operis perficiendum addere debet, ceſſas nihilominus & inducias quæris, quaſi aliorum negotia tractare deberes, non tua, aut corporis potiuſquam animi laboribus tibi foret incumbendum quod certè quàm iniquè facias aut parum in rem tuam & literariam conſultè tum demum intelliges, cum forſan non erit amplius huic morbo remedium. Neque eſt quod Venetijs iſtud commodius quàm Aquisſextijs abſolui poſſe tibi perſuadeas; nam ſi tibi nunc in ſolitudine viuenti deeſt otium, deeſt tempus, quod eiuſmodi cogitationibus impendatur,

qui

qui precor supereſſe potuerit in hoc celeberrimo tot mercium, totque nationum Emporio, vbi nec Argus ſat oculorum haberet rebus ſpecioſiſſimis perluſtrandis, nec Briareus ſat brachiorum pertractandis : Sed Petauium fortè cogitas vrbem illam Academicam ſi quę alia vnquam in vrbe extiterit, & ſtudijs florentem ignobilis, verùm quid opus eſt tot maria tranare, tot pericula ſubire vt otium illud quaſi fugitiuum perſequaris, quod ipſa Philoſophia tecùm vnà naſci voluit, tecum manere, tecum vel in medijs ciuitatibus habitare, modò iſtud ipſum amplecti velis quoties vel vnius Senecæ, vel Epicteti, vel ipſius etiam Epicuri conſilijs ſe tibi obuiam facit, nec ægrotantis alicuius inſtar faſtidioſi toties lectu-

lum commutes, quoties tibi operæ-pretium erit quietem aliquam inuenire. Sed hoc dices, nimis acerbè mecùm agis, mi Naudæe? Verùm quî mitius istud facere debeo, aut potiùs.

Quis Cælum Terris non misceat, aut mare Cælo?

Cùm tu qui meritò Philosophorum huius æui κορυφαῖος æstimaris, qui vacuitatem affectuum & negotiorũ tam eleganter prędicas, qui nos omnes ad pileum vocas libertatis philosophicæ nondũ tibi viuere potueris, quem negotia quotidie distrahunt, necdũ etiam Amicis, qui Philosophiam hanc Epicuream continuò requirunt, inter quos si pro ea libertate quâ me jamdudum aliàs pro ipsomet Epicuro perorátem sustinuisti, aut paulò etiam vehementiore quod

cessatio tua postulat, reliquorum tibi mentem ac animum explico. Rogo te etiam suauissime Gassende, vt quidquid hac in re peccatũ est, affectui meo potius, qui in te profectò singularis semper extitit, quàm tua alia studia improbandi desiderio condonandum esse existimes. Cæterum quod amplissimas conditiones iam antea tibi ab Eminẽtissimo Viro & nunc etiam ab eo, quem vt rectè dicis optimè noui, oblata vltrò tantâ animi cõstantiâ, tantáque amoris in Luillerium nostrum significatione recusaris. Est sanè quod plurimum tibi gratuler & mihi etiam vehementer gaudeam quandoquidem si hunc qui te sibi iunxit raro & indissolubili beneuolentiæ nexu, qui te vix Lutetiam appulsum tanquam in sinu proprio fouit & re-

cepit, qui tibi bonorum omnium auctor esse potest, quorum aut philosophari liberè, aut suspirare familiariter, aut jocari securè possis, quem denique & in vrbe hospitem & in peregrinationibus comitem & in priuatis omnibus cõscium ac testem semper habuisti, si hunc virum, inquam, qui toties non tibi diuitias modò quas amplissimas possidet, sed seipsum obtulit angustioris fortunæ tendiculis irretitus reliquisses, grauiter in Philosophiam ipsam peccasses; mihi verò & cæteris omnibus Amicis, qui in te continuò velut in ipsius modestiæ, probitatísque & temperantiæ viuam, spirantémque imaginem oculos conijcimus, præclarum istud fortitudinis exẽplum ademisses, quod vt indies illustrius reddas perpetua & con-
stanti

ſtanti in Luillerium noſtrum voluntate, me ſuaſore, credo, non indiges, qui ſeu ad Epicurum tuum conuertare, ſtatim audies præcipientem naturales diuitias facili negotio parabiles eſſe, quòd paucis natura ipſa indigeat, ſi ad Lucretium, nihilo ſecius docentem inuenies, quòd

Non calidæ citiùs decedunt corpore febres
Textilibus ſi in picturis, oſtróque rubenti.
Iactaris, quàm ſi plebeia in veſte cubandum eſt.

Si denique ad Senecam & ad Ciceronem, quos præ cæteris etiam plurimum ſemper æſtimare conſueſti, ille nihil ſibi magnum in terris videri aſſerit præter eius animum qui magna nec accipit, nec deſiderat; hic verò conſulit

omnia quæ videntur vtilia, honores, diuitias, voluptates & cætera generis eiusdem nunquam esse amicitiæ anteponenda. Sed vbi tot monitores non adessent, adesset tamen vera illa & germana Sapientia, cuius ductu atque auspicijs, postquam talis euasisti, vt vnicus fermè nostri Seculi Sapiens habeare; rationi certè consentaneum est nihil quidquam de te cogitare quod non hominem deceat vt ab omni fastu & ambitione ac cupiditate alienum, ita recti ac honesti maximè studiosum, aureæ libertatis amantem, libertatis tenacem, nobilissimisque rerum altissimarum cogitationibus penitus immersum quibus in studijs dum ipse totus es, vitámque degis suauiter & tranquillè quid vnquam tibi deesse possit modò Luillerium tuum

tuum non deſeras, equidem non video. Quare ſi me audis, abigeos illos longum valere jubebis, qui liberos homines aureis quibuſdam catenulis ſuas in caſſes ſenſim pelliciunt, & ſtudia cùm Philoſophica, tum etiam Aſtrologica diligenter ac vnicè vt tui moris eſt, excoles, propter quæ non Schikardus modò, aut Hortenſius, ſed Scheinerus, Galileus & quicumque rerum cæleſtium peritiſſimi habentur, te ita admirantur & ſuſpiciũt, vt etiam hoc dicant à pereleganti & ſubacto in iſtis Obſeruationibus ingenio tuo nihil niſi abſolutum, perfectúmque proficiſci, quibus ego libenter ſanè aſſentior & vehementer lætor, te quem vnum præſertim colo & in oculis fero, mirum etiam in modum ab omnibus coli & exiſtimari. Vale.

dabam in Castro Giaggioli Romandiolæ 22. Septembris 1633.

XXXVIII.

Iacobo Michaloro Philosophiæ & Sacræ Theologiæ Doctori præstantissimo, Gabriel Naudæus S. P. D.

Vrbinum

VT primùm exoptatam toties Antaponisim tuam accepi, Michalori doctissime, in qua adeò luculenter & copiosè vindicias agis pro tua Crisi & censura Vrbaniani Circuli nuper a clarissimo Puteano subtiliter, vt te rectè quidem conficis potiusquam verè excogitati non potui sanè mihi vsque temperare vt non statim ipse vel nocturnæ quietis dispendio quin de dierum inter nauigátes ad Ortum aut Occasum compendio vel jactura tandem aliquando statuendum foret, sedulò quidem

atque

atque diligenter explorarem, verum dum gemmam tantùm aut vnionem, quod, inquiunt, quæro, ecce thesaurum reperi, tot abstrusa detegis, tot implicita explicas, tot obscura illustras, tot ardua & difficilia demonstras, variaque depromis ingentis doctrinæ, perspicacis ingenij & suauissimæ consuetudinis ac candoris tui monumenta; quibus haud equidem mirum est si quos non modò testes studiorum tuorum accepisti continuos ac præsentes Vbaldinum intelligo Iuuenem doctissimum, Sempronium ingentis spiritus Poëtam, Mana sanguium Oratorem disertissimum, Battiferum solutæ pariter ac vnitæ dictionis laude florentem, Veteranum Fabrottum Gallum & alios Vrbinates tuos, exteros etiam omnes qui

præ cæteris me ſollicitum detinet quamobrem fiat, quod in alto illo tranquillo ſucceſſu, quo nunc perfrueris, in hac profundiſſima pace & quiete quæ tibi ſtimulos acres ad iſtud Operis perficiendum addere debet, ceſſas nihilominus & inducias quæris, quaſi aliorum negotia tractare deberes, non tua, aut corporis potiuſquam animi laboribus tibi foret incumbendum quod certè quàm iniquè facias aut parum in rem tuam & literariam conſultè tum demum intelliges, cum forſan non erit amplius huic morbo remedium. Neque eſt quod Venetijs iſtud commodius quàm Aquisſextijs abſolui poſſe tibi perſuadeas; nam ſi tibi nunc in ſolitudine viuenti deeſt otium, deeſt tempus, quod eiuſmodi cogitationibus impendatur,

qui

qui precor supereſſe potuerit in hoc celeberrimo tot mercium, tótque nationum Emporio, vbi nec Argus ſat oculorum haberet rebus ſpecioſiſſimis perluſtrandis, nec Briareus ſat brachiorum pertractandis : Sed Petauium fortè cogitas vrbem illam Academicam ſi quę alia vnquam in vrbe extiterit, & ſtudijs florentem ignobilis, verùm quid opus eſt tot maria tranare , tot pericula ſubire vt otium illud quaſi fugitiuum perſequaris, quod ipſa Philoſophia tecùm vnà naſci voluit, tecum manere, tecum vel in medijs ciuitatibus habitare, modò iſtud ipſum amplecti velis quoties vel vnius Senecæ, vel Epicteti, vel ipſius etiam Epicuri conſilijs ſe tibi obuiam facit, nec ægrotantis alicuius inſtar faſtidioſi toties lectu-

lum commutes, quoties tibi operæ pretium erit quietem aliquam inuenire. Sed hoc dices, nimis acerbè mecùm agis, mi Naudæe? Verùm quî mitius iſtud facere debeo, aut potiùs.

Quis Cælum Terris non miſceat, aut mare Cælo?

Cùm tu qui meritò Philoſophorum huius æui κορυφαῖος æſtimaris, qui vacuitatem affectuum & negotiorũ tam eleganter prędicas, qui nos omnes ad pileum vocas libertatis philoſophicæ nondũ tibi viuere potueris, quem negotia quotidie diſtrahunt, necdũ etiam Amicis, qui Philoſophiam hanc Epicuream continuò requirunt, inter quos ſi pro ea libertate quâ me jamdudum aliàs pro ipſomet Epicuro perorâtem ſuſtinuiſti, aut paulò etiam vehementiore quod

cessatio

cessatio tua postulat, reliquorum tibi mentem ac animum explico. Rogo te etiam suauissime Gassende, vt quidquid hac in re peccatũ est, affectui meo potius, qui in te profectò singularis semper extitit, quàm tua alia studia improbandi desiderio condonandum esse existimes. Cæterum quod amplissimas conditiones iam antea tibi ab Eminẽtissimo Viro & nunc etiam ab eo, quem vt rectè dicis optimè noui, oblata vltrò tantâ animi cõstantiâ, tantáque amoris in Luillerium nostrum significatione recusaris. Est sanè quod plurimum tibi gratuler & mihi etiam vehementer gaudeam quandoquidem si hunc qui te sibi iunxit raro & indissolubili beneuolentiæ nexu, qui te vix Lutetiam appulsum tanquam in sinu proprio fouit & re-

cepit, qui tibi bonorum omnium auctor esse potest, quorum aut philosophari liberè, aut suspirare familiariter, aut jocari securè possis, quem denique & in vrbe hospitem & in peregrinationibus comitem & in priuatis omnibus cõscium ac testem semper habuisti, si hunc virum, inquam, qui toties non tibi diuitias modò quas amplissimas possidet, sed seipsum obtulit angustioris fortunæ tendiculis irretitus reliquisses, grauiter in Philosophiam ipsam peccasses; mihi verò & cæteris omnibus Amicis, qui in te continuò velut in ipsius modestiæ, probitatísque & temperantiæ viuam, spirantémque imaginem oculos conijcimus, præclarum istud fortitudinis exẽplum ademisses, quod vt indies illustrius reddas perpetua & con-

stanti

ſtanti in Luillerium noſtrum voluntate, me ſuaſore, credo, non indiges, qui ſeu ad Epicurum tuum conuertare, ſtatim audies præcipientem naturales diuitias facili negotio parabiles eſſe, quòd paucis natura ipſa indigeat, ſi ad Lucretium, nihilo ſecius docentem inuenies, quòd

Non calidæ citiùs decedunt corpore febres
Textilibus ſi in picturis, oſtróque rubenti.
Iactaris, quàm ſi plebeia in veſte cubandum eſt.

Si denique ad Senecam & ad Ciceronem, quos præ cæteris etiam plurimum ſemper æſtimare conſueſti, ille nihil ſibi magnum in terris videri aſſerit præter eius animum qui magna nec accipit, nec deſiderat; hic verò conſulit

omnia quæ videntur vtilia, honores, diuitias, voluptates & cætera generis eiusdem nunquam esse amicitiæ anteponenda. Sed vbi tot monitores non adessent, adesset tamen vera illa & germana Sapientia, cuius ductu atque auspicijs, postquam talis euasisti, vt vnicus fermè nostri Seculi Sapiens habeare ; rationi certè consentaneum est nihil quidquam de te cogitare quod non hominem deceat vt ab omni fastu & ambitione ac cupiditate alienum, ita recti ac honesti maximè studiosum, aureæ libertatis amantem, libertatis tenacem, nobilissimisque rerum altissimarum cogitationibus penitus immersum quibus in studijs dum ipse totus es, vitámque degis suauiter & tranquillè quid vnquam tibi deesse possit modò Luillerium tuum

tuum non deſeras, equidem non video. Quare ſi me audis, abigeos illos longum valere jubebis, qui liberos homines aureis quibuſdam catenulis ſuas in caſſes ſenſim pelliciunt, & ſtudia cùm Philoſophica, tum etiam Aſtrologica diligenter ac vnicè vt tui moris eſt, excoles, propter quæ non Schikardus modò, aut Hortenſius, ſed Scheinerus, Galileus & quicumque rerum cæleſtium peritiſſimi habentur, te ita admirantur & ſuſpiciũt, vt etiam hoc dicant à pereleganti & ſubacto in iſtis Obſeruationibus ingenio tuo nihil niſi abſolutum, perfectúmque proficiſci, quibus ego libenter ſanè aſſentior & vehementer lætor, te quem vnum præſertim colo & in oculis fero, mirum etiam in modum ab omnibus coli & exiſtimari. Vale.

atque diligenter explorarem, verum dum gemmam tantùm aut vnionem, quod, inquiunt, quæro, ecce thesaurum reperi, tot abstrusa detegis, tot implicita explicas, tot obscura illustras, tot ardua & difficilia demonstras, variaque depromis ingentis doctrinæ, perspicacis ingenij & suauissimæ consuetudinis ac candoris tui monumenta; quibus haud equidem mirum est si quos non modò testes studiorum tuorum accepisti continuos ac præsentes Vbaldinum intelligo Iuuenem doctissimum, Sempronium ingentis spiritus Poëtam, Mana sanguium Oratorem disertissimum, Battiferum solutæ pariter ac vnitæ dictionis laude florentem, Veteranum Fabrottum Gallum & alios Vrbinates tuos, exteros etiam omnes qui

tuam Crisim præ manibus habent & Antaponisim summis votis expectant, dudum ipse rapueris in tui amorem & desiderium: Sanè quantum ad me spectat gratulor tibi ex animo studium in hoc opere cudendo insumptum, gratulor simul doctrinam, ac currentem & eloquentem calamum, quo tam breui hebdomadum giro, tam angusto meditandum & legendum spatio, monstrum hoc ingenij atque eruditionis Puteanum tuas in Classes non pellexisti modò primâ illa tua indagine, sed cùm se in omnes formas velut alter Protheus conuerteret, seque ab illis quacũque tandem ratione expedire tentaret, etiam retinuisti. Gaude nunc ista gloria, quę nemini forsan antea tam cumulatè concessa fuit, gaude fama tui nominis hoc certami-

ne

ne per vniuersum Literarium orbem diffusa & manubras Aeternitatis templo victoriæ tuæ testes appende. Vale ex Arce Giaggioli, die 29. Octobris 1633.

XXXIX.

Domino Scipioni Claramontio Philosopho ac Mathematico Celeberrimo, Gabriel Naudæus S. P. D.

Pisas

ACcuso tandem literas quas a te amoris plenissimas accepi, vir doctissime, simúlque vnà impensè flagito, vt mihi libenter condones si non statim ad illas responderim quod te equidem haud inuitante facturum esse confido, postquam semel intellexeris, non mea sanè aut Amicorum negotia, quæ mihi quàm tua altiùs inesse cordi potuerint, sed Operum tuorum catalogum & succes-

ſus illorum quos me vehementer vrgere voluiſti,huic meæ citiùs ad te reſcribendi voluntati morulas quaſdam & impediméta attuliſſe, neque enim te vſque adeò ſollicitum eſſe ac impatientem comperendinationum vnquam exiſtimaui,vt hanc a me reſponſionem poſtulare velles, priuſquam ipſe tibi referre certò potuerint, quid tui causâ Eminentiſſimus meus Mœcenas cum Typographis non Pariſienſibus modò ſed Antuerpianis, Batauis, Germanis ac Lugdunenſibus actum eſſe voluerit, quare cùm iſtud ipſumperbelle nunc & vero præſtare poſſim, qui tuum illum catalogum quinquies ex ſcripſi,vt ad hos omnes ſeu potiùs præpotentes amicos tranſmitteretur, qui negotium iſtud maxima tui nominis & operum editorum commen-

commendatione illecti velut in ſe reciperent abſoluendum, rectæ quoque rationi conſentaneum fore putaui huius te rei quamprimùm certiorem facere, nempe vt ſpem inde concipias non leuem meo quidem judicio, aut incertam votis tuis ſatisfactum iri breuiter & fortè an cumulatè atque etiam conijcias quanti te ſemper fecerit ſapientiſſimus iſte Princeps & Mecenas meus dum hac oblata occaſione vadem ſe ac ſponſorem apud Orbis pręcipuas nationes exhibere non dubitauit ſummæ tuæ virtutis & prorſus etiam incredibilis doctrinę. Verùm quoniam tanta eſt ipſe modeſtia prædirus vt beneficia ſua nolit, niſi cum ipſa ampliùs celari non poſſint, in lucem efferri,

Nec fummum ex fulgore fed ex fumo dare lucem
Cogitet,

Hoc te præterea minimè celare debeo quod ille mihi non femel injunxit ne quidquam ad te de hac fua diligentia perfcriberem, fatis effe fubiudicans poftquam refponfiones ab amicis acceperit, quid tandem ipfi facere velint aut poffint tibi haud cunctanter nec fruftra fignificare, atque ea propter monitum te vellem omninò, vir præclariffime, vt cùm deinceps ad illum fcribendi recurret occafio, de his tantùm gratiam illi referas, de quibus in fuis ad te literis fermonem habuerit, reliqua verò omnia, quæ tibi furtim & clanculùm fubindico velut indicta infectáque prætermittas, fed quæcunque de illis impofterum ftatuere

re voles mihi solùm atque diligentiæ meæ committas, de qua non equidem multùm laboro vt nouas tibi significationes proferam cùm meum in te animum & eximium omninò affectum jamdudum ipse fueris expertus, quem vt si nunc eundem esse & perpetuò futurum arbitrabere, non fallam certè opinionem tuam nisi ipsa me priùs fefellerit atque etiam deseruerit consuetudo mea, quâ maximos quosque & celebres viros, ingenioque & doctrina tui similiter non omnibus modò studijs prosequi, sed tacito cultu, atque admiratione venerari soleo. Vale ex Arce Glazzoli die 11. Nouembris 1633.

XL.

Hieronymo Angelino Iuris vtriúsque Doctori & Professori meritissimo, Gabriel Naudæus S. P. D.

Pisas

MVltos quidem semper habuit Cæsena tua, Angeline doctissime, ingenuarum artium studijs & omni fermè disciplinarum cultu præstantes viros, quibus se inter prçclaras Flaminiæ ciuitates ad istud supremæ laudis & gloriæ decus, quod illustres viri patriæ suæ conferunt, non postrema efferret, sed nullum ego crediderim inter ipsos vnquam extitisse qui te ipso majori cum humanitate & beneuolentia summam vim doctrinæ atque eruditionis conjunxerit, præsertim cùm te vnum videam sic in humanioribus literis tractandis & Legum ænygma-

ænygmatibus ſoluendis verſatum eſſe vt pauci ſint inter eiuſmodi ſcientiarum principes quibus cum paria facere non poſſis aut debeas; adeò verò ciuilibus etiam officijs exeultus habeare vt neminem comitate ipſa & honeſta vrbanitate non longè poſt te reliqueris, quemadmodum ipſe & abundè quidem antea tuis ex familiaribus colloquijs deprehendi, & nunc etiam ex Epiſtola, quam ad me nuper dediſti, ſatis ſuperque cognoſco; cùm ipſa non minùs caſtigatiſſimæ dictionis venuſtatem exprimat, quàm amoris & ſuauitatis illecebras ſpiret, quibus me totum tibi multis jam nominibus addictum, vberius etiam deuincire ſtuduiſti, neque enim aliundè poſſum ego ſuſpicari cauſam habuiſſe tam propenſæ in me tuæ voluntatis

magnificam prædicationem, qui dum ipsius occasionem in me requiro & me totum diligentiùs excutio, eo magis intelligo omnia in me aut mediocria esse aut etiam infra mediocritatem, & nihil prorsus me habere eximium vel singulare, nihílque quod non vnus aliquis ex literatorum plebecula me adæquet, aut etiam multis parasangis exuperet, quo fit vt tuum istud in me studium tuæ tantùm humanitati acceptum omninò referre debeam, quod etiam vna faciunt Slingelandus & Torræus, viri quidem optimi nec minùs spectatæ probitatis, quàm doctrinæ, quos vt antea semper tuæ virtutis famitores ac admiratores præcipuos habuisti, sic impofterum eosdem ita tibi debitos esse cõspicies, vt tuæ in illos susceptæ humanita-

tis

tis ac beneuolentiæ nunquam te pigeat. Cæterùm de Syntagmate quod nudiustertiùs tantùm accepi, fidem meam libero tardiùs certè quàm voluissem, aut tui de causa, qui hoc ipsum vehementer cupiuisti, aut mei etiam, qui omnia officia quæ additissimo tibi exportare possunt præstare desidero vt tuum in me amorem magis indies prouocem, meque dignum exhibeam quem tuo studio ac patrocinio nunquam fouere desistas. Vale, atque excellentissimum fratrem tuum plurimùm meo nomine saluere jube. Cerniæ Kalendas Ianuarij, 1634.

XLI.

Domino Scipioni Claramontio Philosopho ac Mathematico Celeberrimo; Gabriel Naudæus S. P. D.

Pisas

CVm postremæ tuæ mihi, paulò quàm soleo esse, occupationi, redditæ fuissent, libenter vsus sum venia quam mihi facis non continuò ad te scribendi, vt tardiusculè ad illas responderem. Addo etiam quod dum in vnius aut alterius diei mora nihil esse incommodi viderem, faciliùs hoc vnum naturæ meæ indulsi, qui perspectam satis habeo facilitatem tuæ; quanquam nec vsque adeò officium quod a me petebas, distuli qui statim atque tuas accepi, in quibus mirum in modum te discruciari asserebas ne doctissima tua ad Galilei objectiones responsio-

ſio nobis reddita fuiſſet, Clariſſimum filium tuum, Dominum Hyacinthum, præſens admonui, vt te eiuſmodi metu liberum eſſe vellet, ſimulque certiorem faceret, Eminentiſſimum meum Mœcenatem officio ſuo minimè defuiſſe, qui literis paulò poſt ad te datis & ſe librum tuum ab Andrea Hoſtilio accepiſſe & gratias tibi quàm maximas de illo habere profeſſus eſt, quod iterum ut ſuo tibi nomine ſignificem, & quantum præterea ex eius lectione voluptatis perceperit, ipſe mihi inpræſentiarum auctor eſt. Sanè delectavit ipſum ſupra modum ſingularis illa modeſtia, quâ tam facilè, tam blandè & comiter Achillem hunc, non tibi modò, ſed Peripateticis omnibus glorioſè inſultantem excepiſti; delectârunt et-

jam argumenta tua & ingeniosè quidem excogitata & densa, ac viuo, vt ita dicam, spirantíque orationis genere expressa: mihi verò dum elegantem hunc atque accuratum mirè fœcundi ingenij tui fœtum curiosiùs peruoluerem, idem quod olim de tuis operibus judicium feci, in mentem venit, cùm perspicere te eadem ἀκριβείᾳ qua cuncta alia solitus es ipsum absoluisse, & nihil omnino intactũ in eo reliquisse quod vel ἀποδεικτικῶς cùm res ita postulauit, vel saltem ἐλεγκτικῶς non excussum, examinatúmque diligenter fuerit, quare gratulor tibi has vindicias tam faustè, feliciterque peractas, gratulor simul & nouum honoris ac gloriæ cumulum partæ jampridem immortalitati tuæ fuisse additum atque vt indies nouus aliquis post

Keplerum

Keplerum & Galileum aduersarius tibi suboriatur, quo tuis eruditissimis laboribus res literaria auctior fiat, & ornatior, veritásque ipsa liquidior appareat animitùs voueo. Cæterum postquam Syntagma meum de studio liberali nuper ab Ariminensi Typographo recusum fuit, huius pridem exemplar domino Hyacintho commissi quod tibi reddendum curaret vnà cum quæstione Philologica, cuius ob editionem quam in se totam recepit, me plurimum illi deuictum esse profiteor, vtrumque verò si a te probari intellexero præclarè mihi operam conflare arbitrabor, qui nullum vnquam maiorem mihi fructum vigiliarum ac laborum meorum proposui, quàm vt tui similibus placerem, quemadmodum rectè isthæc tibi

placitura nullus dubito, non quod valde bona ſint, ſed quod a me, quem jamdudum propter optimum meum Mecenatem tuendũ, honoramdúmque ſuſcepiſti, quod vt ſemper facias, tibíque etiam pro certo perſuadeas te ita à me obſeruari ac coli, vt paucos admodum habeas tui quàm ſim ſtudioſiores, impensè efflagito. Vale & doctiſſimum Alſarium Crucium mei quoque amantiſſimum meo nomine plurimum ſaluere jube. Cerniæ IX. Kalendas Martij, 1634.

XLII.

Domino Ioanni Veſlingio Equiti & Anatomiæ Profeſſori præſtantiſſimo, Gabriel Naudæus S.P.D.

Patauium

BEaſti me, Ioanni Veſlingi Eques & Anatomice prę̨ſtantiſſime, ſuauiſſima hac & perelleganti

ganti, quam ad me nuper dediſti, Epiſtola; neque enim ſi meam in ea quæſtionem ventilare inſtituiſti & adductis in contrarium grauiſſimis rationibus omninò conuellere, propterea tamen minoris hanc a me fieri velim exiſtimes, qui ſummæ tuæ ac propemodum incredibili beneuolentiæ acceptum refero, quod me dignum exiſtimâris, qui cum certamen iſtud Literarium inire deberes, & in cuius opinione diligenter excutienda maximam illam vim eruditionis & eloquentiæ profunderes, qua niſi me ſummoperè cohoneſtatum a te profitear, ineptus ſanè cenſeri poſſim & merito etiam ingratiſſimus, ſi me tibi propterea non mediocriter deuinctum aſſeram; maximè cum ab omni memoria hæc inter probos & veritatis amantes

viros recepta consuetudo inualuerit, & quemadmodum inquit Poeta,

Diuersum sentire duos de rebus iisdem
Incolumi liceat semper amicitiâ,

Vt in eiusmodi concertationibus plerumque contingat vt qui a doctiori prouocatur, vberiorem inde fructum cum ex beneuolentia singulari, tum etiam ex magis accurata & subtili disquisitione referre soleat. Quamobrem tantum abest vt meas a te rationes tam politer & accutè impositas, fuisse, molestè feram, quod potius me tibi plurimum debere profiteor ob eximium istud amoris in me tui argumentum, quo sane perfecisti, vt cum doctrina & facultate dicendi plurimos præcedas ne officio quidem aut amore a

quoquam

quoquam te vniri posse intelligam. Verum vt de quibus ad me retulisti sermonem aggrediar περὶ πτερυγοτομίας quæ magis distincte scire cupis, commodiùs opinor & facilius tibi patebunt cum αὐτοψίᾳ ipsá & nerui sectione, quam me coram breui celebraturum recipio, difficultates omnes expediam quæ vix vnquam per literas probe enodari possent, quamuis vt quod è re ipsa est ingenue profitear nec te diutius vana spe lactatum detineam quidquid in hoc secreto præsidij repositum videbatur ferme jam apud nos decollauerit, ob istud vel frustra in quibusdam animi speciebus vel saltem non æque feliciter in omnibus tentatum, quod verò in quæstionem meam non minùs sane prudenter quàm doctè & eleganter objecisti, istud

profectò totum eiuſmodi eſt vt accerrimum ſtudium ac perenne in quo te contines, oſtendat, magno rerum vſu, multáque noſtrorum temporum & celeſtis orbis varietates confirmatum, potiusquam ſententiæ meæ neruos infringat aut labefactet: Nam quod primum aſſeris prouidentiam ſeu πρόνοιαν ita Mundum gubernare vt inſitum rebus ad mutationem genium minime tollat, hoc item vnà contendo, ſed ita tamen effatum explico vt mutatio illa totius in ſe perfectionem includat, per temporum nempe viſſicitudines, ſyderum ortus & occaſus, perpetuaſque indiuiduorum ſucceſſiones, non autem perniciem & exitium ex ſpecierum omnium ſenio & prorſus ineuitabili contabeſcentia, ſecus enim ludibrium
nobis

nobis deberet Aristotelis Schola certè quam maximum dum cõfidenter asserit Nullũ Ens in se posse agere actione destructiua, sed ea tantùm quâ se ad meliorem statum reducere, aut aliquid vlterioris perfectionis acquirere potest; Deinde verò cum Zeno, Chrysipus, Cleanthes totáque Stoicorum porticus, vt apud Ciceronem varijs in locis consignatum est, Deum a Mundo ipso, aut quod idem est, Mundum a deo non seiunxerint, quum Academici vnà cum Platone ipsum voluerint esse sempiternum, & Peripatetici quotquot in Magistri verba jurarunt ęternum, silentium ipse decrescit & mutatur si ad interitũ tendit, valeat Porticus necesse est, labatur Academia, nec ampliùs in Peripato veritas Philosophica, sed Atellanarum po-

tiùs exordia apud Moroniam &
Cynosarges inuestiganda vltrò se
nobis offerent, sed neque magis
vrget quod ex psalmo 101. in medium
depromis ad Cælorum corruptionem
exemplo veterascentis
vestimenti stabiliendum, quandoquidem
expressè docet totius
Christianæ Religionis & Doctrinæ
iubar ac decus eximium diuus
Augustinus capitibus 2. & 3. de
Genesi ad literam, Regium ibi
Prophetam de Aere locutum fuisse,
non secus profectò atque alij
Scriptores ἁγιόγραφοι fecerunt
apud quos volucres Cæli, panem
de Cælo, rorem de Cælo, & varias
phrases eiusmodi sæpiùs vsurpatas
nullus non videt qui paulò
saltem in sacris Codicibus versandis
diligentior extiterit, vt hìc minimè
opus sit aliorum responsione
qui-

qui verba hæc non de corruptione naturali, & quæ omni tempore contingere possit, explicanda contendunt, sed de illa tantùm quæ præter eorum naturam & senium contingere debet in hac vltima totius Orbis conflagratione, quæ vel etiam a prophanis Vatum carminibus ita videtur fuisse celebrata,

Esse quoque in fatis reminiscitur affore tempus.
Quo Mare, quo Tellus connexaque Regia Poli.
Ardeat & Mundi moles operosa laboret.

Cùm verò postea recurris ad Syderum anomalias, Plantarúmque Eccentricitates & Satellites nuperrimè quidem a Galileo in statione circa Solem atque alios Planetas deprehensos. Næ tu

doctiſſime Veſlingi, tuæ cauſæ nimium indulges, qui tot phœnomena de quibus ne quidem inter ſe Aſtrologi conueniunt ad iſtud quod per ſe manifeſtum eſt conuellendum attuliſti. Patere igitur vt poſtera ſæcula, quæ pręſentibus dubio procul ſapientiora erunt, dubia iſthæc referant, ad quę nondum cognitio noſtra penetrauit, aut conſuetudo quamuis diuturna viam monſtrauit certæ obſeruationi, & tunc, opinor, patebit manifeſtè hanc eſſe rerum etiam cæleſtium continuam viciſſitudinem, vt quæ jam interitura judicamus non ſecus atque Sol & Luna renaſcantur iterum, iterúmque per labentes ſæculorum anfractus, ſibique mutuò ſuccedentes periodos, motus ſuos replicent & Cæleſtium ſcientiam auctionem efficiant.

ciant præclara, certissimáque sui cognitione, sed ecce quod a Cælo me ad Gygantes retrahis, qui illud quondam oppugnare ausi sunt & Patagonas ac Luneburgensem tuum in aciem producis, qui priscorum omnium, quos vnquam fama jactauit aut potiùs nimia credulitas finxit & admisit, decus ac nomen sustineant. Verùm amabo te domine Veslingi, sunt nè eiusmodi tui Gygantes vt turres altissimas æquare possint magnitudine, vt robore ferocientes tauros atque Elephantes superent, vt saxa & lapides vibrent,

Quos vix solertibus sex Ceruice leuarent
Qualia nunc hominum producit corpora Tellus,

Si enim ita est, herbam statim tibi porrigo, si secus quidni tu mihi

ipſam debebis? qui homines vno tantùm aut altero pede reliquis altiores pro Turno ac Pallante in exemplum profers. At enim vtcunque illi tui non aliter profectò atque Poetarum fabuloſi Pelion Oſſæ rurſus imponere valerent, vix tamen vnquam inde conficies primæuos illos Orbis incolas ſtaturâ corporis fuiſſe Gyganteâ, non magis certè quàm partus olim monſtroſos omnes fuiſſe; quoniam aliqui etiam num hodierno die tales euadunt ἀλλὰ δὲ γλαῦκα εἰς Ἀθήνας qui de iſtis coram te diſſero, quæ jam vſque a crepundijs tibi nota ſunt atque ipſo vſu & continua exercitatione probè cognita, ſed poſtquam iſtud quodcunque eſt te jubente diſſerui, velim etiam, Eruditiſſime Veſlingi, vt officium iſtud, gratúmque

túmque mei in te animi & propensæ voluntatis significationem æqui bonique consulas, méque tandem in eorum loco habeas, qui omne suum officium, omne studium non libentissimè modò, verùm etiam cupidissime ad colendam eximiam tuam virtutem sunt colaturi. Vale & communibus Amicis Liceto, Rhodio, Thomasino, quos me propediem amplexurum lætor magnopere, salutem meis quoque verbis plurimam indulge. Dabam Massæfiscagliæ die 3. Aprilis 1634.

XLIII.

Illustrissimo Doctissimóque Philosophiæ ac Medicinæ Doctori & Professori in augustissima Sapientiæ Schola Primario, Domino Vincentio Alsario Crucio, Gabriel Naudæus S. P. D.

Romam

ERgo mei recordaris, Alsari

Doctissime: & tot occupationes studiorum, tot jactationes vitæ atque fortunarum, quibus tandem velut alter Vlisses ex alto tempestuosóque mari in Pheacum delicias, hortósque virentes & amœnos euasisti, Naudæum tuum tibi e pectore excutere non potuerũt, ô raram hominis fidem! ô candidum pectus! ô mirabilem atque incredibilem pene beneuolentiam! Sed quid tum me de te sensisse, quid scripsisse arbitraris? ita me saluum profectò fortunatúmque velim vt de te tuísque laboribus & studijs atque abdicata, receptáque ampliori & angustiori dignitate vel Patauij cum Liceto, vel Romæ cum Baldo, vel Parisijs cum Moræo vel etiam hic aut alibi cum Eminentissimo meo Mœcenate sermones prolixos cùm ore, tum calamo

calamo frequenter immiſcui, ſed etiam ſi quotidie iſtud feciſſem, quid hoc tamen ad officia, quæ in me contuliſti? quid ad obſequium, quod propter illa me tibi debere profiteor? verum enimerò quidquid a te proficiſcitur magnum eſt, quod verò poſſum aut valeo, tenue, proptereáque ſi pares tuis meritis gratias non habeo ſi non refero, tua potius ſors ſupra reliquorum virtutem elatior accuſanda eſt, quàm mea gratitudo culpanda, quæ quantum in ſe eſt & ſummæ illius neceſſitudinis recordatur, quæ me tecum Romæ familiariſſimè conjunxit, & Veſuvij tui in quo me ſupra ſpem atque votum honorare voluiſti, & proloquij denique iſtius Piſani, elegantis certè ſupra modum venuſti, quod etiam cùm ad me vnà

cum suauissimis literis transmisisti sed qua tandem ratione se ab ære tuo expediat; nondum ipsa probè intelligit; interim verò gratulor tibi adeptum nuperrimè cùm in sanitate recuperata, tum verò in noua dignitate adepta votorum cumulum, cuius postquam certiorem feci optimum meum Cardinalem, ipse pariter de felici tuo statu summoperè lætatus est & se ad consueta erga te officia paratissimum obtulit, simulque vt istud tibi quamprimùm significarem imperauit. De eius autem statu si quid scire desideras, idem est omninò qui semper ab discessu nostro ex Aula fuit, nempe desultorius & crebra locorum mutatione sibi, atque nobis omnibus difficilis, neque tamen quem finem tot errores habituri sint, adhuc vi-

deo ſane quo minori tædio me afficiant, denuò Patauium ire meditor, vt tot doctiſſimorum hominum, qui illic continuò degunt, mutuâ cõſuetudine melior indies atque doctior euadam; ſi quid illic me tuâ causâ facturum jubes hoc ipſo experiris quantum etiam tuâ causâ velim, ipſe quantum poſſim, tentabo. De Cathedra verò quam me in Sapientia conſecutum fuiſſe audiueras, rumor fuit, & is quidem valdè crebre & longè diſſeminatus, ſed me tamen inſcio & nihil quidquam ſimile poſcente, ac ne cogitante quidem, nempe quia,

Mecùm habito & noſco quàm ſit mihi curta ſupellex.

Saltem ad iſtud muneris poſt Alſarios aut Lampugnagnos obeundum felicjùs longè ſe res habuit circa officium Conſiliarij &

& Medici Regij quod biennio ante Romæ ſuſtinebat Dominus Thuillerius, iſtud enim Eminentiſsimi mei Cardinalis ſtùdio, cura, beneuolentia cum omnibus ſtipendijs & emolumentis adeptus ſum, atque jam propè eſt vt vrbem cogitem eiùs exercendi causâ, ad quam vt ſtatim appulero Leonem Allatium conueniam, nec deſinam interea ipſum eius erga te officij literis meis admonere. Tu verò, Vir doctiſſime, quam tibi meo nomina Clariſſimus Eques Scipio Claramontius ſalutem antea dixit eandem nunc ſi placet verbis meis eidem redde, & quæ tua erit ſumma humanitas atque beneuolentia, vt me ſemper feciſti amare perge. Dabam Maſſæ Fiſcagliæ die 4. Aprilis 1634.

XLIV.

XLIV.

Raræ indolis adolescenti Dn. Renato Moreau, Renati Moreau Doctoris Medici filio, Gabriel Naudæus S. P. D.

Parisias

SVmmus ille & incredibilis affectus, quo me dudum Clarissimus Parens tuus complectitur, omninò in causa est, Renate Moræe, adolescens optime, suauissiméque vt nisi velim ingratus merito censeri quantum ipse semper in me beneuolentiæ contulit, tantumdem etiam in illum, sed verò in te potissimum refundere debeam, qui egregia & præstanti tua indole non eius modò curam omnem & sollicitudinem, sed omnium, qui te nôrint, vota ac desideria in tui cultum & amorem conuertisti. Et sanè quantum ad me spectat, qui te nō in cunis mo-

dò blandè vagientem, ſed in ſerperaſtris etiam ac arundine longa ingenioſè ludentem ſæpiùs maximaque cum voluptate ſum amplexatus, vellem omninò naſcentis pariter tuæ virtutis primos impetus & exercentes ſe ad omne decus ingenij floſculos præſens intueri. Quod equidem licet mihi honeſtiſſima de cauſa minimè cõceſſum ſit, gaudeo tamen majorem in modum varia de ſtudijs tuis audire, quæ ſpem non modò confirment quam antea de illis concepi certè quàm maximã, ſed vlteriorem præterea injiciant te in virum doctrina non minùs quam virtute ſpectabilem aliquandò euaſurum. Quod certe vt faciliùs conſequaris magnum profectò atque inſigne prorſus adjumentum repoſitum habes in doctiſſimo tuo Parente,

rente, eodémque mihi eximia ſemper veneratione colendo Domino Renato Moreau, qui præter raram Artis ſuæ peritiam, qua tanquam ſoſpitator in Vrbe Genius, omnium ſibi vota menteſque conciliat, nullam prætera eloquentiæ nullam politionis literaturæ partem non perfectiſſimè tenet, vt ſeu prodeſſe, medendo, ſeu delectare dicendo & vtile dulci miſcere velit, vtrumque ſanè cumulatiſſimè & miro atque inſolito omnium applauſu præſtare poſſis, vnde ſi hunc tot jam ingenij dotibus, totque præclaris vitæ muneribus illuſtrem, tibi ad imitandum proponas, audeo jam in animum inducere meum, qui tuum etiam vel ab incunabulis exploratum habeo, quod,

ipſam debebis? qui homines vno tantùm aut altero pede reliquis altiores pro Turno ac Pallante in exemplum profers. At enim vtcunque illi tui non aliter profectò atque Poetarum fabuloſi Pelion Oſſæ rurſus imponere valerent, vix tamen vnquam inde conficies primæuos illos Orbis incolas ſtaturâ corporis fuiſſe Gyganteâ, non magis certè quàm partus olim monſtroſos omnes fuiſſe; quoniam aliqui etiam num hodierno die tales euadunt ἀλλὰ δὲ γλαῦκα εἰς Ἀθήνας qui de iſtis coram te diſſero, quæ jam vſque a crepundijs tibi nota ſunt atque ipſo vſu & continua exercitatione probè cognita, ſed poſtquam iſtud quodcunque eſt te jubente diſſerui, velim etiam, Eruditiſſime Veſlingi, vt officium iſtud, gratúmque

túmque mei in te animi & propensæ voluntatis significationem æqui boníque consulas, méque tandem in eorum loco habeas, qui omne sum officium, omne studium non libentissimè modò, verùm etiam cupidissime ad colendam eximiam tuam virtutem sunt colaturi. Vale & communibus Amicis Liceto, Rhodio, Thomasino, quos me propediem amplexurum lætor magnopere, salutem meis quoque verbis plurimam indulge. Dabam Massæfiscagliæ die 3. Aprilis 1634.

XLIII.

Illustrissimo Doctissimóque Philosophiæ ac Medicinæ Doctori & Professori in augustissima Sapientiæ Schola Primario, Domino Vincentio Alsario Crucio, Gabriel Naudæus S. P. D.

Romam

ERgo mei recordaris, Alsari

Doctissime: & tot occupationes studiorum, tot jactationes vitæ atque fortunarum, quibus tandem velut alter Vlisses ex alto tempestuosóque mari in Pheacum delicias, hortósque virentes & amœnos euasisti, Naudæum tuum tibi e pectore excutere non potuerũt, ô raram hominis fidem! ô candidum pectus! ô mirabilem atque incredibilem pene beneuolentiam! Sed quid tum me de te sensisse, quid scripsisse arbitraris? ita me saluum profectò fortunatúmque velim vt de te tuísque laboribus & studijs atque abdicata, receptáque ampliori & angustiori dignitate vel Patauij cum Liceto, vel Romæ cum Baldo, vel Parisijs cum Moræo vel etiam hic aut alibi cum Eminentissimo meo Mœcenate sermones prolixos cùm ore, tum

calamo

calamo frequenter immiſcui, ſed etiam ſi quotidie iſtud feciſſem, quid hoc tamen ad officia, quæ in me contuliſti? quid ad obſequium, quod propter illa me tibi debere profiteor? verum enimerò quidquid a te proficiſcitur magnum eſt, quod verò poſſum aut valeo, tenue, proptereáque ſi pares tuis meritis gratias non habeo ſi non refero, tua potius ſors ſupra reliquorum virtutem elatior accuſanda eſt, quàm mea gratitudo culpanda, quæ quantum in ſe eſt & ſummæ illius neceſſitudinis recordatur, quæ me tecum Romæ familiariſſimè conjunxit, & Veſuvij tui in quo me ſupra ſpem atque votum honorare voluiſti, & proloquij denique iſtius Piſani, elegantis certè ſupra modum venuſti, quod etiam cùm ad me vnà

cum suauissimis literis transmisisti sed qua tandem ratione se ab ære tuo expediat; nondum ipsa probè intelligit; interim verò gratulor tibi adeptum nuperrimè cùm in sanitate recuperata, tum verò in noua dignitate adepta votorum cumulum, cuius postquam certiorem feci optimum meum Cardinalem, ipse pariter de felici tuo statu summoperè lætatus est & se ad consueta erga te officia paratissimum obtulit, simulque vt istud tibi quamprimùm significarem imperauit. De eius autem statu si quid scire desideras, idem est omninò qui semper ab discessu nostro ex Aula fuit, nempe desultorius & crebra locorum mutatione sibi, atque nobis omnibus difficilis, neque tamen quem finem tot errores habituri sint, adhuc vi-

deo ſane quo minori tædio me afficiant, denuò Patauium ire meditor, vt tot doctiſſimorum hominum, qui illic continuò degunt, mutuâ cõſuetudine melior indies atque doctior euadam; ſi quid illic me tuâ causâ facturum jubes hoc ipſo experiris quantum etiam tuâ causâ velim, ipſe quantum poſſim, tentabo. De Cathedra verò quam me in Sapientia conſecutum fuiſſe audiueras, rumor fuit, & is quidem valdè crebre & longè diſſeminatus, ſed me tamen inſcio & nihil quidquam ſimile poſcente, ac ne cogitante quidem, nempe quia,

Mecùm habito & noſco quàm ſit mihi curta ſupellex.

Saltem ad iſtud muneris poſt Alſarios aut Lampugnagnos obeundum felicjùs longè ſe res habuit circa officium Conſiliarij &

& Medici Regij quod biennio ante Romæ sustinebat Dominus Thuillerius, istud enim Eminentissimi mei Cardinalis stùdio, cura, beneuolentia cum omnibus stipendijs & emolumentis adeptus sum, atque jam propè est vt vrbem cogitem eius exercendi causâ, ad quam vt statim appulero Leonem Allatium conueniam, nec desinam interea ipsum eius erga te officij literis meis admonere. Tu verò, Vir doctissime, quam tibi meo nomina Clarissimus Eques Scipio Claramontius salutem antea dixit eandem nunc si placet verbis meis eidem redde, & quæ tua erit summa humanitas atque beneuolentia, vt me semper fecisti amare perge. Dabam Massæ Fiscagliæ die 4. Aprilis 1634.

XLIV.

XLIV.

Raræ indolis adolescenti Dn. Renato Moreau, Renati Moreau Doctoris Medici filio, Gabriel Naudæus S. P. D.

Parisias

SVmmus ille & incredibilis affectus, quo me dudum Clarissimus Parens tuus complectitur, omninò in causa est, Renate Moræe, adolescens optime, suauissiméque vt nisi velim ingratus merito censeri quantum ipse semper in me beneuolentiæ contulit, tantumdem etiam in illum, sed verò in te potissimum refundere debeam, qui egregia & præstanti tua indole non eius modò curam omnem & sollicitudinem, sed omnium, qui te nôrint, vota ac desideria in tui cultum & amorem conuertisti. Et sanè quantum ad me spectat, qui te nõ in cunis mo-

rente, eodémque mihi eximia ſemper veneratione colendo Domino Renato Moreau, qui præter raram Artis ſuæ peritiam, qua tanquam ſoſpitator in Vrbe Genius, omnium ſibi vota menteſque conciliat, nullam prætera eloquentiæ nullam politionis literaturæ partem non perfectiſſimè tenet, vt ſeu prodeſſe, medendo, ſeu delectare dicendo & vtile dulci miſcere velit, vtrumque ſanè cumulatiſſimè & miro atque inſolito omnium applauſu præſtare poſſis, vnde ſi hunc tot jam ingenij dotibus, totque præclaris vitæ muneribus illuſtrem, tibi ad imitandum proponas, audeo jam in animum inducere meum, qui tuum etiam vel ab incunabulis exploratum habeo, quod,

nunquam nisi ad seria se diducunt, in incessu qui sedatus est, in gestu qui compositus, in toto deniq; habitu qui nihil præ se fert puerile, nihil quod nō in se demonstret vrbanitatem naturæ vel pręstantiam educationis vel diligentiam paternæ solicitudinis, vt propterea non operæ pretium videri possit hunc fœtum non magnum certè, sed maximi tamen Auctoris genuinum ad te transmittere, qui jam in primo illo ætatis tuæ flore, in hac viuidæ indolis lætitia cuncta complexus es, de quibus Cardanus filios suos primum etiam ætatis suæ flexum subeuntes monendos esse duxit, verū enimuerò quoniam vt præclarè a Symmacho dictum est, *Quoties parentum beneficijs obligamur necesse est ad hæredes nexum officij pertinere*, istud certè munusculum

tibi vel eo ſaltem nomine haud ingratum, injucundumve fore confido, quia nexus erit quouis Gordiano nodo firmior huiuſce mei officij quod tibi totum deuoueo & propenſæ etiam voluntatis, quam æternum in tua ſtudia & commoda fouebo, non leue ſanè argumentum. Interim, mi Renate, ſtadium hoc virtutis & doctrinæ, quod tibi emetiendum ſeſe offert, alacriter ingredere, perge vt cœpiſti feliciter ea tantùm cogitare quæ excelſa ſunt, quæ ampla, ac dignitatis & gloriæ plena, & quo te ſemper a prima tua infantia mea vox incitauit, quò Amici quorum ad te cogitationes, curæque referuntur, quo omnes aſſiduè cohortantur, quò denique te vocat illuſtris ac peruulgata fama meritorum optimi tui Parentis, quam

quam nulla dies vnquam extinguet, nulla obſcurabit obliuio. Dabam Maſſæ Fiſcagliæ die 15. Aprilis 1634.

XLV.

Clariſſimo Doctiſſimóque Medico Domino Petro Seruio, Gabriel Naudæus S. P. D.

Romam

EOúſque ab officio me continui quod tibi debebam, Petre Serui, decus & præſidium Medicinæ ob tranſmiſſum nuper ad me elegantiſſimum tuum libellum de ſero lactis, donec meum hunc quem Reuerendus Pater Puteanus tibi reddendum curabit, poſſem quoque hoſtimenti loco ad te tranſmittere. Sed ô præclaram, inquies, gratiarum vicem cùm pro ære lupini rependuntur, & gemmarum loco quiſquiliæ! Verùm

amabo te, Vir disertissime, me ne ita suffrenum arbitraris vt tecum paria facere velim aut debeam? Apage, precor, si quod vnquam de me tam grande nefas in animū induxisti, sed potius quàm in me voluntatis tuæ significationem egregio illo & facultatibus tuis apprimè conuenienti munusculo declarasti, permitte vt alio ex tenui & angusta mea supellectile renumerari possim; dum interea pauperiem meam ex opulentia tua dimetior, teque vnum habeo qui non modò prçclara quæque ac optima docere possis, sed artem præterea Medicam eruditis tuis laboribus auctiorem indies ac illustriorem efficere. Vale. Dabam Patauij die 26. Iulij 1634.

XLVI.

XLVII.

Doctissimo Viro D. Petro Gassendo, Theologo, Philosopho & Mathematico celeberrimo, Gabriel Naudæus S.P.D.

Diniam

VIvis igitur, doctissime Gassende, nec de te splendida Minos fecit arbitria? ô me felicem qui te mortuum omnino, conclamatúmque putabam! Sed quæ hæc ista tua mens aut potiùs vafricies & astutia, vt qui hucvsque Epicurri ritu vixeris, tunc etiam Pytagorę silentium instituas? nempe vis, opinor, omnes Philosophorum Tribus perceptare vt quidquid in vnaquaque tibi commodum verterit, tūc cùm eo tibi opus est, vsurpare possis & quoties lautè, atque opiparè cænandum erit, Epicuri te de grege pinguem, & bene curata cute porcum; cùm

etiam ab opere & molestia scribendi vel dicendi cessandum, ranam te non ex Seryphia, sed Pythagorea palude mutam exhibere. At amabo quid istud rei est, nisi cornicum oculos configere, idemque à Philosophia quod mercatores Horatiani à pulchra Lauerna flagitare,

Da fallere, da sanctum. iustúmque videri.
Noctem peccatis & fraudibus obijce nubem;

Aut potiùs ritu pessimi istius Sicophantæ viuere, qui se cùm Esuriales feriæ imminebant, Lutheranum profitebatur, cùm nummis indigeret ad Anabaptistas diuertebat, & quoties Philoponia nauseam illi ac fastidium attulerat Diuos omnes maxumos, mediocres & patellarios vnà cum Catholicis

Catholicis venerabatur, sicque rem omnium opinione sanctissimam priuatos in vsus flagitiosè detorquebat; sed heus, inquies, hydropata dicatule, istáne joco ac seriò tam aculeatè in me contorsisti? At istud equidem est, optime Gassende, de quo non ita facilè deliberare possum; si enim molestiam, quam mihi diuturnum istud silentium tuum attulit, si officium probi & diligentis Amici, quo miminimè defunctus es, si oblatā a doctissimo Claramontio tesseram, cui te adeò tandem nouum exhibuisti, si Peireskij crebras adhortationes, quas tu pertinaciter & obstinatè neglexisti, in consilium vocem, seriò profectò dicta velim ea omnia: verùm si ex alia parte oculos, animúmque reflecto ad optimam tuam & suauissimam na-

turam, quæ mihi probe perspecta est; ad leges Amicitiæ, quæ libera esse debet, ad literas istas, quibus tam ingenuè reum te sistis, & ad munuscula etiam librorum, quos vnà transmisisti joco sanè ac merâ illâ, quæ mutuò semper nos conjunxit vrbanitate prolata sunt oportet; quemadmodum certè & me nunc illa protulisse velim omnino existimes, cùm præsertim Deo omnium gratissimo Gelasino, vitulinæque Lubentiæ probè cum ferijs Martinalibus, quibus hęc ad te scribo conueniat, & nihil aliud mihi suppetat in antiqua ista & tędij plenissima solitudine, quo paginam hanc absoluam, quæ clarissimi Scipionis ad te literis comitem se præbeat. Cæterùm vbi Romam peruenerim, quod breui futurum spero, excusserimque veternum

veternum hunc qui me tandiu isthic oppressum detinuit, plura ad te de rebus vrbanis & Academicis, Fluddauisque perscribam, quam vt diligentiam meam desiderare possis aut debeas. Tu interim idem etiam solitò frequentiùs præstabis & me vt antea fecisti, amare perges. Vale. Dabam Gattæi, 1634.

XLVII.

Eminentissimo & Reuerendissimo Principi Cardinali Barberino. S.

Romam

EMinentissime & Reuerendissime Princeps,

Vellem omninò vt illustrissimus Vasionensis Antistes, qui mihi nuper tuas literas reddidit, & prolixæ illius beneuolentiæ, qua me vel immerentem prosequeris, significationem tam facundè explicuit,

tibi quoque pręſens referre poſſet, quanta hanc obſequij veneratione exceperim: Neque enim dubito quin pro ea, qua ſumma apud te pollet gratia & auctoritate fidem huic Epiſtolæ aſſereret quâ iſtud nunc a te quam enixè contendo, vt illam exiſtimes prorſus fuiſſe incredibilem. Verùm vtcunque pario illo deſtituar, qui gratiam mihi tuam atque beneuolentiam ampliùs conciliet, non deſpondebo tamen animum in tui cultum ſponte currentem, ſed precatus veniam audaciæ, illum apud te teſtaturum efficiam hoc potiſſimum officij genere, cuius mihi libertatem nuper feciſti, & quod ſi longiùs differam, ingrati merito poſtulare. Gratias igitur habeo, Eminentiſſime Princeps, & illas quoque ſi poſſem, vellem referre

maximæ

maximæ tuæ & singulari humanitati qua me semper complexus es, magnanimitati etiam qua Ieuidense munus adeò jucundè amanterque excepisti, & voluntati denique quam vt antea quidem habuisti in me valde propensam, ita nunc præclaris omnino & magis quàm ipse sperare potui illustribus verbis declaras te summopere desiderio teneri angustæ meæ supellectilis rationem, studiorúmque conatus promouendi. Quod equidem si quis alius mihi promitteret spem tantùm inde conciperem boni alicuius venturi, verùm dum te eiusmodi pollicitatio auctorem habet, cuius voluntas non differt a potestate, nec beneuolentia a liberalitate, injurius sane tibi nõ minimùm videre ni gaudiũ illud ore me ferrem quod voti compotes

ſolet afficere, maxime cum duabus illis Cathedris quæ in Collegio Sapientiæ ſuis Profeſſoribus orbatæ ſilent, tertia jam accedat ob diſceſſum clariſſimi Petri Caſtelli, quæ nouum quoque deſiderat Medicinæ Interpretem. Qua certe in occaſione vt te Mœcenatem experiar, Princeps Eminentiſſime, rogo te, obteſtorque majorem in modum daturus etiam ipſe poſtea operam ne beneficium iſtud, cuius fama in omnes Europę Academias peruadet, aut in indignum aut immemorem contuliſſe videaris, ſed in illum potiùs qui omninò ſuum tempus in literarum ſtudijs cupit inſumere, omnemque operam & induſtriam in hoc præſertim impendere vt literati omnes, qui probe jam cognouerunt qualis ſis, ſciant etiam impoſterùm

posterùm qualem me esse volueris dum summi istius beneficij magnitudinem verbis quantum potero solemnibus efferre nunquam desistam,& liberalitatis tuę insuper atque munificentiæ aram,

Sæpe tener nostris ab ouilibus imbuet agnus.

Viue igitur,Princeps Eminentissime, tam felix,quam tua meretur probitas , tam carus tibi & Orbi, quam tua in omnes beneficētia & liberalis natura postulat,& tamdiu denique ac tam inculpata valetudine quam ego voueo Eminentię tuæ cliens & cultor æternùm addictissimus Gabriel Naudæus. Dabam Gattæi 7. Kalendas Decembris , 1634.

XLVIII.

Paulo Zacchiæ Medico Celeberrimo, Gabriel Naudæus S. P. D.

Romam

STatim atque a viro integerrimo & vtriusque nostrûm amantissimo Baldo Baldo literas tuas vnà cum exemplo tibi septimi & postremi tuarum Quæstionum accepi, Paule Zacchia Medicorum consultissime, eodem atramento, quod in calamo meo reliquum erat ex ingenti illo & laborioso Opere de studio militari, quo nunc dijs vt spero benè fauentibus defungor, has ad te literas exarare mihi visum est, quibus hoc vnum etiam quod jamdiu præ manibus habebis, gratuler tibi tam præclarè feliciterque absolutum vt præsenti tuæ gloriæ viuus intersis & futuræ etiam conscius nihil vltra

vltra mereri possis vel optare. Paucorum est meo quidem judicio tam rara & inusitata felicitas, multos enim quos ingenium comitatur deserit materia, & quibus illa fauet, parum istud propitium est, aut si vtrumque consentit ad laudem, aliquot tamen aliud officit ad æternitatem; tuę verò Quęstiones cùm incerto sint variæ fine nobiles, vsu ipso necessariæ, tantùm insuper illis ornamenti ab ingenio, tantum soliditatis a judicio, tantúmque ab improbo labore eruditionis conciliasti, vt superbiam meritis tuis quæsitam haud iniuria sumere possis & ita de te ipso sentire & loqui quasi monumentum exegeris ære perennius.

Quod non imber edax, non Aquilo impotens.
Possit diruere aut innumerabilis.

Annorum series & fuga temporum.

Quandiu enim diuinæ & Ciuilis prudentię leges ad Hippocratis auctoritatem prouocabunt & Imperatorum iuxta ac Summorum Pontificum Sanctiones, Medicorum consilia tam lubenter audient quàm honestum semper erit & vtile vt illis multum concedant, tamdiu, Paule Zacchiæ, nomen tuum in immensæ gloriæ sudo conquiescet, tamdiu, quod nunquam alteri contigit arbiter eris eorum, quibus de reliquis arbitraria facere, concessum est,

Atque erit in triplici par tibi nemo tuo

Et sanè cùm huius tui laboris, quo nullum censeo vel Reipublicę a grauissimis difficultatibus explicandæ conuenientiorem, vel illustrandis Legum ac Medicinæ studijs,

dijs, quæ plurimùm jam prouecta sunt aliorum industriâ, maiorem aut meliorem afferri potuisse, tales Encomiastas nactus sis, quibus præstantiores non in Vrbe inuenias. Miror profectò maiorem in modum vestram omnium fortunam, qui ita simul opportunè conuenistis, vt quod tu omnium optimè fecisti, illi etiam optimi omnium non probarent modò, sed laudarent. Ecquis enim pangendis versibus fœlicior Lelio Guidiccione, accuratior & tersior in Oratione Gaspare de Simeonibus, fœcundior in vtrisque Bartholomeo Tortoletto, & vberrimis artibus ac scientijs ornatior Leone Allatio? Dispeream, mi Paule, si quidquam a magnis illis animabus venit quod statim Melpomene non respiciat, quod Venus quinta

parte ſui Nectaris non imbuat, quod Charites ſuis amœnitatibus non exornent, quod Apes ipſę non perfundant melle, non intexant floribus, non compleant omni ſuauitate? ſed nolo hîc viris ſuffragari, quorum fama extra judiciorum aleam conſtituta ſuis & aliorũ laboribus pretium addit & commendationem, nec virtutes tuas tibi prædicare, quarum cùm inuidiam feras, illas profectò ignorare non potes. Miror potiùs quoſdam homines eſſe tam fatuo palato vt parciùs laudatum velint illud Opus tuum præclarum & immortale, quod eiuſmodi tamen quadrum viris rei litetariæ probatum eſt, quod Gallos in ſui amorem & admirationem pellexit, quod a Germanis ſemel atque iterum excuſum eſt, & quod omnibus tan-

quam

quam si Physidiæ simulacrum esset, simul aspectum fuit & probatum. Sed non ista mihi res videtur quam graui & iniquo animo ferre debeas, multis enim displicent Rosæ & balsama, quosdam Sol offendit, alios vita ipsa, quibusdam etiam pluuium ac sudum æquè molesta sunt. Quid igitur ad te si in quosdam Timones ac Zoilos incideris qui non eodem sensu tuos labores excipiant, quo boni omnes & eruditi, quorum vera est & cõstans opinio, omnia in his tibi ita pulchrò & ex voto ac merito cecidisse vt nec maleuolorum inuidia, nec quidquam aliud interuenire possit quod tantam felicitatem interturbet. Cæterùm dabis veniam incultæ doctrinæ quam festinans exaro, ne eadem animi promptitudine gratias tibi

retulisse non videar, qua & librum hunc tuum ad me transmisisti pro munere nescio an aliud vnquam fuerit mihi gratius, aut jucundius. Vale, Dabam Reate die 23. Decembris 1635.

XLIX.

Clarissimo & Eruditissimo Viro Domino Iacobo Philippo Thomasino, Canonico Sanctæ Mariæ in Vantio, Gabriel Naudæus S. P. D.

Patauium

ADeò suaues & omni genere Leporum exculti videntur mihi esse tui libri, Iacobe Philippe Thomasine, & cum illos in manus sumo, etiam si cuncta circum me gelu concreta sint, & hyemis quę nondum hîc remittit languore ac sæuitia penè dicam deformata, in amœnissimis tamẽ ac vernantibus hortis versari mihi videar; vbi non modò

modò oculos reficere gratissima specie Typorum & totius voluminis elegantia, ac nitore sed mentem insuper pascere liceat eloquentiæ tuæ Nectare suauissimo, quod singulari illa eruditione temperatum, in qua tu vnicus fermè hac tempestate præcellis, ita se in omnium animos molliter insinuat vt huic etiam displicere possit: Rosæ & balsama, quem tua elogia ob mirabilem tunc purgatissimi sermonis & exquisitæ doctrinæ consensum non incredibili quadam voluptate delectant & afficiunt. Sanè quantum ad me spectat ita mihi arrident cuncta quæ scribis vt nunquam meminerim me in hoc genere legisse meliora; etenim si cultum in illis & orationis, quas vocant Veneres, ac ornatum considero, hausisse mihi

ſtylum tuum videris & penitùs illum effinxiſſe ad eius imitationem quem in Iouio Sammarthano Foglieta & Pignorio communis etiam num laudat hominum benè, ſapientérque dé rebus exiſtimantium ſententia. Si verò narrationis tuæ varium & locupletem apparatum intueor, etiam illum eſſe depræhendo, vt cùm cæteræ lucubrationes quas dudum antea Patauinorum omnium, qui in literis eximij fuerunt aſſerendis honoribus conſecraſti, te mirè ſollicitum fuiſſe declarent in hiſtorica veritate diſquirenda, hoc tamen prætcrea ſic & abundè & magnificè teſtantur Franciſcus Petrarcha & M. Antoninus Peregrinus quos nuperrimè tuis vigiliis & laboribus renatos eſſe voluiſti, quaſi in meorem lucem, vt cùm ipſi vitam aduxerint per varios caſus & ho-

nores ..ctam non minùs profectò ingeniosum te, solertémq; in eorum omniũ memoria ad posteros transmittenda quam varia semper fuit fortuna, quæ illis occasionem præbuit. Enimerò cùm amarem te majorem in modũ, de his singulis accessit etiã quo nunc te suspiciam & admirer Cassandra tua, quæ eo rectiùs a te in lucẽ à situ & puluere vindicatur, quod eius exemplo, quæ formam corporis & ingenij auspicabilem, summa cum honestate & perpetuo vitæ decore conjunxit, non minimũ accedet momenti contra Iuuenalem & alios Mulierum osores, qui catas & ingeniosas fœminas promptiores & acutiores esse arbitrati sunt adstruendas machinas, quibus viros suos decipiant; ita enim hic liberrimus vitiorum Censor,

Non habeat Matrona tibi quæ iuncta recumbit
Dicendi genus, aut curtum ſermone rotato
Torqueat Enthymema, nec hiſtorias ſciat omnes,

Quaſi verò vna Sapho, quæ magis ingenioſa fuit, quàm pudica reliquarum ſtudijs officere debeat ac honeſtati; ſed facies, opinor, Thomaſine, tua innata ad res omnes exornandas propenſione vt qui Epiſtolas tuæ Caſſandræ legerit, eruditionem quidem, ac dicendi vim & peritiam in Virgine ſtupeat; qui verò conſumptam a te de illius vita hiſtoriam euoluet, non etiam in tanta eruditione caſtum pudorem requirat, quamquam hac in controuerſia ſuffragari quoque poſſet Virgini Patauinæ

uinç Christina Parisina nobilis oppidò & rectissima doctissimaque puella, quæ ante ducentos annos multa sermone quidẽ vernacula, sed tamen, prout tempora ferebant, mirum in modum terso & eleganti conscripsit, ac inter cætera quidem librum de Pace edidit ad Ludouicum Caroli VI. qui tunc in Gallia rerum potiebatur filium natu maiorem, & alium de Laudibus Mulierum, ac tertium etiam, in quo Iacobi magni Sententiarum collectionem, quæ vulgo Sephologij nomine innotuit, in perbreuem summam contraxit, reddiditque ex lingua Latina vernaculè; cùm interim libros illos priores de Pace & segnioris Sexus auctoritate ea sententiarum præclarissimarum copia, & quasi exaggerata altius oratione illuminarit,

vt quoties eius libros in Eminentissimi ac munificentissimi Cardinalis mei Bibliotheca conspicio, nondum typis exaratos, toties doleam apud me fatum tam candidæ & eruditæ Virginis, quæ libenter se comitem præberet exeunti tuo beneficio in lucem Cassandræ, verùm ipsæ aliquando meæ partes erunt pulchram hanc Andromedem a blattis & tineis vendicare, & tu in præsentia externis exemplis non indiges cui vel judicio & censura Martialis abundè suppetũt Patauina. Quamobrem reliquum est modò, vt de vita M. Antonini Peregrini, quam per communes nostras delicias & virum antiquæ probitatis ac doctrinæ Leonem Allatium mihi reddendam curasti, gratias tibi habeam ingentes & quantas

animus

animus capere potest maximas, simulque vt gratuler tam præclaris tibi fœliciterque cessisse hunc conatum, quem in exornanda quoque tua Cassandra demum tibi iterùm fortunare velim & voueo ex animo. Vale. Dabam Reate postridie Idus Martias 1636.

L.

Celeberrimo, præstantissimoque Philosopho Fortunio Liceto, Gabriel Naudæus S. P. D.

Patauium.

QVanquam a decennio, quo primùm, Fortuni Licete, tuam in familiaritatem, vt admitterer, ingens me & illustris ac peruagata compulit virtutum tuarum apud bonos omnes & eruditos admiratio, nihil prius in votis habuerim, quam ex libertate qua me donatum voluisti, tecum,

agere cum præſens Patauij adeoram & abſens poſtea tractare per Epiſtolas de iis rebus, quarum me cognitio non ornationem modò, ſed meliorem etiam efficeret, multaque ab illo tempore viciſſim inter nos dicta & ſcripta ſint, de quibus ad te continuò, quem doctiſſimum & ſapientiſſimum eſſe cognoueram, referendum eſſe tum arbitratus, ita vt vel teipſum non dubitem adhibere teſtem maximopere idoneum inter tot Epiſtolas, quas mutuæ noſtræ neceſſitudini conſeruandæ per ſingulos fermè Tabellarios ad te dedi frequentiſſimè nullam excidiſſe mihi, in qua munus iſtud aſſumpſerim docendi te, ac commonefaciendi de re aliqua quaſi per te ſatis illam ſcire ac perſpicere non poſſes. Neſtio tamen quomodo

ita

ita nunc impellor frequentibus literis & vocibus eorum, qui tuo præ cæteris honori ac Reipublicæ literariæ commodis consultum volunt, vt mihi a te necessariò impetranda sit, istud semel & hoc præsertim tempore quod sanè conuenientissimum est faciendi. Cupio igitur si fieri potest propitijs auribus tuis quid homines eximiè periti, & in tuis rebus non minùs forsan quàm in suis oculati censent hûc afferre, & accerrimo tuo judicio relinquere discutiendum. Considerant autem ipsi & apud se perpendunt diligenter te in eo statu collocatum esse, vt quam olim de se hominum expectationem concitarunt Cremoninus, quam ante illum Zabarella & hoc antiquior Pomponatius, ac Niphus & alij excellentes Philosophi, qui exu-

exulantem & tantum non extinctam Barbarorum incursionibus Philosophiam in celebriora Italię Gymnasia reduxerunt, eandem nunc solus in Europa sartam tectámque sustineas qui per improbos labores & eruditionem quam supra humani vim ingenij ad eius studium & illustrationem attulisti istud tandẽ consecutus es, vt cùm hi, quos antea nominabã Philosophorum Coriphæi plurimum laudis & existimationis in ea disciplina grauiter excolenda retulerint; nullus tamen eo felicitatis progressus sit vt seu multitudine librorum editorum, seu ipsorum varietate & elegantia, aut docendi facilitate paria tecum facere possit vel debeat. Quare si te jam in Æternitatis sudo constitutum esse dixerim quo pertingere non possint

sint

ſint improborum voces, non liuor æmulorum, non calumniæ aut tela aduerſariorum, a quibus certè non magis timere debes quàm Olympijs à ventis, quos excedit, aut a mari tempeſtuoſo rupes Cianeæ, in quam delati fluctus ſuo ſe illiſu diſſipant & infringunt. Nihil equidem mentiar aut quidquam dixerim quod mecū omnes non ſentiant Viri quotquot ſint in Orbe celeberrimi, quorum adeò conſtans eſt de præclaris tuis ac eximijs virtutibus ſententia vt nulla de re, quàm de ipſis lubentiùs, aut maiori inter ſe conſenſu ſtatuant non eſſe dubitandum. Hæc verò cùm ita ſint, moleſtè ferunt ijdem ac ægerrimè tibi inter grauiora eiuſmodi ſtudia ſeneſcenti obices quoſdam ac veluti remoras inijci a maleferiatis quibuſdam.

hominibus, qui dum te minùs forſan exploratis rationibus vſum contendunt in quæſtionis alicuius diſceptatione,&gloriam ſibi quærunt non vulgarem ex eiuſdem accuratiori & magis dilucida expoſitione, minùs quidem culpandi eſſent ſi operæ pretium illis eſſet ſolidis & grauioribus argumentis, quàm tua ſint, hoc vnum quod in ſe recipiunt, præſtare: Sed horum loco cùm rationes ita leues afferant, vt eas dum refellis, videaris mihi cum Ænea Virgiliano perſequi tenues ſine corpore vitas,aut auras potiùs inanes conſectari,quę tandem in ſcommata& μαγειρικὰ ῥήματα, vt loquitur Ariſtophanes ſe reſoluunt, non ſecus profectò quàm nubes in pluuiam faceſſit & minus aëris tepor deſinit in fulmẽ & tornitrua. Quis jam non videt ambi-

ambitione potiùs illos duci atque vt tecum certaſſe ferantur, tot lites&furores ſerere,quàm vt Philoſophiæ ſubueniant aut opitulentur veritati. Quamobrem oro te obteſtórque, Doctiſſime Licete, vt me tanquam ab omnibus amicis tuis, viris certè prudentiſſimis & optimis delectum patienter audias, dum vnixè & quantum in me ſitum eſt à te contendam, vt etiam ſi calamo ſemel aduerſus vos concitato, qui te quaſi ſcopum habent ſuæ maledicentiæ, & vnum fermè deliquunt è multis, quem impudenter laceſſant, temperare tibi admodum difficile ſit, non tamen agas cum illis nimis acriter, & inpoſterum ſis minus de ſtulta illorum garrulitate ſollicitus. Quid enim Lunæ deperit, etiam ſi canes il-

lam allatrent? Quid Soli quando integræ gentes & nationes cominus illum insectantur? Quid Cælo si sputis aut luto appetatur? Quid Herculi si magno tumultu Pygmæi in ipsum mouent? Quid Diogeni si furens aliquis cæco impetu in eum incurrat? Quid denique virtuti nocet, imò quid tibi si ignari æmuli inuidi, qui neminem eminentium virtutum absque contumelia appellant, eorum quoque splendorem ac expressam effigiem ferre in te non possint! Permitte igitur illos suo genio libenter indulgere, & libros quos facis in dies nouos me hercle, & elegantissimè, rimentur ac explorent non ad Critolaj modo lancem, aut Demosthenis lucernam, sed eorum etiam more qui nodum in scirpo quærunt & magnas

cre-

crebrasque tempestates excitant in simpulo; etenim tantum abest vt quidquam his rumoribus & μωρολογίαις tuo nomini detractum iri arbitrandum sit quod ex aduerso non minimum ei dignitatis accrescet, eo ipso quod vnusquisque facilè judicabit oportere libros tuos magni pretij esse, cum quibus sic agitur ab illis, qui se alicuius forsan adumbratos eruditionis opinione quam de se habent, aliorum operum Censores constituunt, & hunc prætereà singularis tuæ humanitatis & beneuolentiæ fructum percipies vberrimum, quod vti nullo tuo periculo aut incommodo poterunt suam sibi scabiem ac pruritum defricare: Nam etiam si toties in te jaculando aliquando collineent, & tu ipse leuiter in

minutiis offenderis, in quibus explorandis mirum est profectò quàm diligentes & sint & supra modum ingeniosi, oculatique; non propterea tamen minori eius apud bonos omnes & eruditos in æstimatione, cùm illis abundè persuasum sit τὸ ἀναμάρτητον majus quiddam esse quàm vt ab homine præstari queat, & sanè cùm illud Floratio visum itidem esset, frequentes versus protulit in gratiam Poëtarum, quibus tunc scribebat, quos si me audis, Eruditissime Licete, in tuum quoque aduersus obstrepentes æmulos vsurpabis,

Verùm vbi plura nitent in carmine, non ego paucis
Offendar maculis, quas aut incuria fudit
Aut humana parum cauit natura,

Si

Si verò tantùm nugantur & νεανικῶς ineptiunt, licet ætate decrepiti, ſatis tibi debet eſſe repoſitum præſidij contra illorum morſus & aculeos in ipſa veritate, quæ ſeipſa facilè in oculos omnium incurrit, ac ſimiliter in doctrina tua, quæ adeò excellens eſt, vt neminem latere poſſit dum nouo quotidie partu Philoſophiæ campos fœcundat & tam facilè Nemeſis vibrat in zoilos quàm ex Apennino præcipitantur flumina. Enimuerò cùm ex illis quidam ſint rupices & improbæ dicacitatis homines, qui nullo ſenſu ducuntur honeſtatis, nec alia intẽtione in σφάλματα tua inquirũt, quàm vt literas rem omnium ſanctiſſimam malignitatis ſuæ miniſtras habeant, atque ex floccis & næuis, qui tibi ſerias inter medita-

tiones occupato humanitùs excidunt, famæ sibi accessionem apud imperitos faciant,

Vilia vendentes tunicato scruta popello;

Alij verò tam præclarè sint a natura & continuis laboribus subornati ad doctrinam vt in tuas & aliorum opiniones tantum sibi licere arbitrentur quantum ipsi tibi, cæterisque in suas permittunt. Vellem omninò ita te componeres postea ad omnium insultus excipiendos, vt illorum, quoniam sunt prorsus inanes, multa apud te ratio haberetur non magis certè quàm fucorum & crabronum, qui circum aluearia bombilant & strepunt inconditè, interea dum in illis suauissimum mel apes conficiunt & elaborant; horum verò æqui bonique consuleres

ſuleres libertatem, quando quidem ignis ille & feruor contentionum, qui inter vos nonnunquam exardeſcit Philoſophiæ & Scientiarum conſultos non eius eſt ſimilis, quem Tacitus in quibuſdam Germaniæ locis è terra erupiſſe, atque villas, arua, vicos omnes peruaſſiſſe & corrupiſſe, ſcribit, donec Ruſtici ira tantæ cladis & inopia remedij commoti periculos, ſcruta, purgamenta & vilia quæque eminùs in foueam proijcerent, quæ quanto magis profana erant & vſu polluta tanto etiam incendium faciliùs, citiuſque reſtinguebant, ſed quemadmodum hiatus qui Romæ in medio foro, terra ſubſidente, apparuit, ea re tantummodo compleri potuit qua populus Romanus plurimùm valeret, ita vos
proceres

proceres literarum non eſt quod veſtras contentiones vlla alia re ſedare poſſe arbitremini quàm ea qua plurimùm valetis, nempe libera veritatis cenſura atque acri inueſtigatione facta ſine reliquarum opinionum præjudicio, aut eorum, qui illas defendunt contumelia & vituperatione. Quare poſtquam maleuolos homines & ineptos rerum tuarum cenſores, quos ſuis moribus vlciſcendos multi reliquiſſent, tot jam editis Reſponſionibus caſtigaſti, vt nemini ampliùs dubium ſit quin alias prioribus iſtis addere & quoties opus fuerit, defenſionem tui ac decretorum tuorum ſuſcipere nullo negotio poſſis. Reliquum eſt modò vt diſceptatores habeas reliquarum controuerſiarum, quæ inter te & probos alios

ac

ac eruditos ſcriptores exoriri poſſunt, æquiſſimos illarum lectores. Quod equidem ſi facis, præterquam ea, quæ ſummo tuo candore digna ſunt, & communibus noſtrum omnium votis majorem in modum concupita præſtabis, illud deinceps tempus omne lucri facies quod antea quidem ab illo tempore quo primùm tua virtus aliorum cœpit luminibus obſtruere & æmulorum in ſe concitare vehementiam tam pertinaciter in contentioſo illo ſcribendi genere conſumpſiſti, vt fateantur etiam qui nihil de te niſi magnificè ſentiunt & loquuntur te paulò quàm par erat defendendi tui cupidiorem eſſe; quanquam non tam illos dicere iſtud arbitror, quod minùs probent quidquid hactenus defenſionum a te

conſcriptum eſt, quàm quia verentur ne ſi in eodem conſilio perſtiteris ἴσον ἴσῳ referendi, cùm ea ſit nominis tui celebritas vt nouos quotidie tibi cenſores & æmulos excitare poſſit; totum interim tempus tibi effluat, quod grauioribus alijs & vtilioribus ſtudijs rectiùs conceſſeris, in quibus ſi te quemadmodùm antea feliciter cœpiſti, exercere pergas non admirationem tui modò quam dudum apud nos excitaſti, ſed ſtuporem etiam poſteris relinques. Vale, dabam Reate 13. Kalendas Apriles 1636.

L I.

Clariſſimo Viro Scipioni Claramontio Philoſopho & Mathematico celeberrimo, Gabriel Naudæus S. P. D.

Piſas.

SI perinde vt Sapientes monent,

neat, Eruditiſſime Claramonti, ad repetendos veterum amicorum congreſſus & fructus intermiſſæ conſuetudinis reguſtandos, ſatis eſt occaſionibus ad iſtud faciendum compelli, quæ cum per ſe ſint illuſtres aut neceſſariæ, pluris etiam in mutua neceſſitudine conſeruanda faciendæ ſunt, quam moleſtum plerumque aut inane literarum officium. Audeo incœptos jam antea tecum ſermones cùm in Flaminia eſſemus, nunc quod in Sabinis dego renouare non quidem deprecandæ veniæ cauſa, quod tamdiu ceſſauerim ab Epiſtolis, ſed proponendi potiùs quæ ſtudiorum tuorum interſint magnopere; atque vt in cæteris, quæ tibi dicere habeo, nulla eſſet vrgentior interturband te a conſuetis ſtadijs & compel

landi ratio, certè non possem tamen absque flagitio diutiùs apud me premere quæ de te non ita diu est cum Eminentissimo Principe Francisco Barberino multis vltrò citróque sermonibus dicta sunt, cùm a me qui libenter ipsis occasionem præbui, tum verò etiam ab illo, qui mihi certè visus est, plusquam ipse tibi facilè persuadeas de te, tuisque studiis & commodis admodùm esse sollicitus. Ad hinc igitur proximè postea in Sabinam discessurus cum venissem & ipse quæ summa sua est & incredibilis humanitas blandè mecum de literatorum studiis eorumque nouis operibus confabularetur; nescio sanè vt injecta sensim de tuis mentione eò tandem sermo noster se reduxit, vt me de illis tantum compellaret, quęnam

scilicet

ſcilicet illa eſſent, quot ex illis edita, quot edenda reſtarent, & an breui atque hîc in Italia, aut alibi gentium prodirent, quibus cum appoſitè quantum in me fuit reſpondiſſem & ingenuè præterea ſubjunxiſſem Virum te eſſe inter paucos excellentem, & in tantum laudandum in quantum virtus ipſa & doctrina laudari poſſunt tam hîc quaſi plena velificatione deferri vellet in tui cognitionem plura alia de iis rebus, quę ad te pertinent quæſiuit, num ſemper Piſis doceres, quo ſtipendio, quàm commodè in loco ita diſſito a Patria, ab Amicis & voluptatibus domeſticis, quàm laudabili & inculpata ſanitate in ætate adeò prouecta & ingraueſcente, qua etiam gratia Principis, quàm celebri conſeſſu audito-

rium, qui certè nisi tua de causa frequens esse non debet in ditione breuibus admodùm terminis circumscripta, quo denique animo, an metam iterandi in eodem circo, aut quiescendi ea absoluta, quæ nunc decurritur, vel aliò migrandi quò te forsan summorum aliorum Principum liberalitas & beneuolentia inuitare possent; enimerò tot quæstionibus obrutus hæsitaui dubius, ancepsque, & cùm aliud non haberem in promptu, illud tantum Eminentissimo Principi responsum dedi, Dauum me esse, non Oedipum, vt in hisce rebus tam acutè cernerem multa esse in illis, quæ forsan intimo tuo pectore conclusa seruantur, tantùm abest vt in amicorum & me præsertim qui a te disiunctus viuo cogitationem perue-

uenerint, & de quibus antequam certi quidquam haberi poſſit, prius eſſet ad te referendum, annuit igitur ille & tantum non imperauit vt id facerem, ſed interea ſuauiter & multum riſit nouum hunc meum ſtuporem, a quo vt me quamprimùm fieri poterit, commoda reſponſione liberes, oratum te velim etiam atque etiam. Cæterum cùm me hactenus modeſtè tuleris de iis rebus ſcribentem, quæ tibi non ſummopere placere ac allubere non poſſunt; ſanè operæ pretium nunc eſt vt me patienter quoque feras in nonnullis, quæ niſi jam vſque ab adoleſcentia motus tuos reprimere & animum rebus in arduis tranquillare didiciſſes tumultum in ipſo forſan excitarent vt ſtudiis ſuis ſic moribus inimicum. Hæc au-

illi condonaueris aduersum te sentiendi, nihil aliud habeas quod te ab illo læsum, violatúmve fuisse conqueri possis, sed præter hunc qui ferit, alter est etiam qui minatur Hugo Sempilius è Societate Iesu Mathematicus valdè insignis qui in opere de Mathematicis disciplinis, quod anno proximè elapso Antuerpię prodijt, varię omninò ac penitùs juncundæ doctrinæ flosculos velut in antecessū protulit nescio cuius doctrinam Mathematici, cuius editionem breui pollicetur, atque vt in illud omnes fermè grauiores nodos & difficultates rejicit, quæ illi ad amœniora festinanti negotiū afferre possent, sic quas tu nuper de Parallaxi & loco Cometarū doctissimè cōcitasti ipsimet verbis, quę sub finē Epistolę proferam se hoc loci tracta-

turum spondet, sed minæ illæ sunt hominis, vt arbitror, iuuenis & multa de se liberaliter pollicentis, quæ cùm ita facilè præstare possit, valde dubito, vtcumque tamen res se habeat, officij mei esse putaui te de his omnibus facere quamprimùm certiorem, vt si quicquam Camillo Glorioso respondendum duxeris, homini prorsus non indigno qui cum in arenam rursum descendas, vel Sempilij minas illudere ac frangere priusquàm in apertam vim erumpant, vtrumque commodè & tempestiuè facere possis, atque vt mei in te animi propensionem, quando præ tenuitate mea alijs officijs illam declarare non licet ex istis saltem depræhendas & æstimes. Vale, Dabam Reate 10. Kal. April. 1636.
Hugo Sempilius de Mathematicis disci-

diſciplinis lib.9.loquens de Cometarum loco, *Solum vnicum argumentum quod ſolidioris doctrinæ viri conuincere arbitrantur ex obſeruata eorum parallaxi deſumitur quod integro volumine Claramontius conuellere nititur, ſed quo ſucceſſu in Dictionario Mathematico dicemus.* Idem libro 10.de doctrina parallaxeos agens, *Vltimo in campum deſcendit Scipio Claramontius, qui Tychonem, Keplerum; Diggeſium parùm feliciter in parallaxeos natura verſatos fuiſſe oſtendere conatur, ſed quo exitu nos in Dictionario Mathematico dicemus.*

LII.

Viro Clariſſimo Domino Ioanni Rhodio Philoſopho & Medico Eruditiſſimo, Gabriel Naudæus S. P. D.

Patauium

SI mihi per occupationes licuiſſet citiùs ad tuas literas reſpon-

dere quibus oſtendebas teneri te vehementi deſiderio intelligendi ex meis qualis mihi videretur hic libellus Figueroæ, quem nuper ad me Patauio miſiſti, non commiſiſſem profectò te iſtius iudicij mei expectatione tamdiu macerari, vt ſi quid antiquæ tuæ humanitati ſilentij mei confidentia detractum ſit iraſci mihi iure tuo poſſis, etſi minùs officij neglecti ſaltem diutinæ meæ tarditatis pœnas repoſcere; verùm quid AulicoRomano cum literis, quæ præter ſeceſſum otia quærunt & ceſſationem a muneribus, quorum hîc nulla dies immunis anteambuloni noſtro. Beatum hunc inexpertus clamas, ſed quæ tandem, ô Bone, felicitas eſt ſurgere ad tinnitum æris crepeti, & penduli, deſcendere in Aulam colluuie gentis otioſę refer-

tam.

tam,illic deambulare cum ignotis, componere gressus ambitiosè, gestus histrionicè, nutus parasiticè, risus fingere, qui citra risum videri non possint, Ardelionatus licentiam toties petere vt ipsum prętaret exercere sine licentia, effutire aliquid ridiculum aut maledicũ alterius in aurẽ, & palam quod grata sint loqui,non item quę honesta; mox verò sedere in rhombũ aut hemyciclum cum aduenis, ibíque vultu priùs accersito & erudito ad grauitatem, quærere vt optimus sit aer in quo singuli degunt. Quid Vultispices de summi Pontificis sanitate referunt, quę Mula Cardinalium sit minùs ceruicosa,quis Asturco pulcerrimus,quæ Palatria Romę magis commoda,quę fornices etiam minus suburanæ, & cùm alicui palpare minutum opus

eſt, calceum illi nouum aut ritè feneſtratum gratulari, vel Periſcelidis criſpantes Fimbrias, Laciniæ ſollicantes ſinus, capillitium æqualiter vtrinque diſcriminatum, barbam punicè nouiter expolitam & eius generis nugas & affanias referre, donec qui Dominum ſalutatum veniunt excipiendi ſint itionibus obuiam & reditionibus continuis, quæ ſtatim alias longè moleſtiores pariunt, ac non ampliùs Aulæ parietibus, ſed ne ſeptem quidem illis Montibus aut Ciuitatis pomerio terminatas, cùm nempe Dominus cæleſtem illam veſtium tenus nobilium Aulicorum turbam aureato curru deferens alios pariter ad iſtud negotij ſportula conductos per longum faſtidioſum iter trahit nonnunquam ad ſacras Ceremonias Pontificis, quandó-

quandóque etiam ad ſalutationes Amicorum,ſed frequentiùs tamen ad publicos Conuentus Purpuratorum Antiſtitum. Vides igitur, Suauiſſime Rhodi,quæ ſint Aulicæ vitæ bona, quorum me pauperrimum eſſe in maxima ſemper felicitatis parte duxerim, eóque facilius ignoſces mihi ſi neſcio quo fato per hos vltimos menſes in tale Piſtrinũ detruſus nihil interim ad te vel alios Amicos ſcribere potui literarum, nunc verò quod iniquo iſto munere defunctus ad ſolitum & longe gratiſſimum redire, Principis mei indulgentia mihi conceſſum eſt, videor prorſus tanquam ex longa peregrinatione adire te de nouo, Licetum amplecti, Thomaſinum, Argolum, Veſlingium, Farnacium & quotquot ſunt Patauij mei amantes viros ſalutare,

lutare, ad quos omnes, vt ſcribam deinceps officij mei eſſe intelligo; a te verò vt incipiam, amoris etiam & communis illius neceſſitudinis, quæ tanta inter nos eſt, quãta poteſt inter duos eſſe maxima. Quod igitur de libello Figueroæ toties a me poſtulaſti, en tandem accipe ipſum profectò non cunctanter euolui ſemel atque iterùm non minùs certè tuo juſſu ad id inductus, quàm illectus etiam quæſtionis nouitate & opinione, quam animo pridem concepi de ſummo judicio Hiſpanorum in rebus tractandis & ea etiam ſubtilitate, quæ tanta ſit vt eorum omninò videatur eſſe propria; nec me quidem mea fefellit expectatio, quid enim in tanta breuitate non vidit Figueroa, quid non attulit vt ſuæ ſententiæ non minùs patroci-

naretur

naretur, quàm veritati? Sanè ita de eius argumentis censeo vt inter bonos & prudentes viros, qui solo veritatis amore tenentur, nec partium studio callidè ac veteratoriè quicquam fingunt tam facilè probent *Aciam* fuisse ex filo cannabrino, aut alio simili, quàm penitùs difficile est vt ijdem rationibus Chiffletij assentiantur illam ex ferro fuisse contendentis; nempe illius ratiocinio torosa est mascula diligens accurrata multum habens ex docto illo & ingenuo candore qui suo se ambitu continet, nunquam excurrens extra propriç Artis orbitam, vt litem in alieno foro contestetur, quam in proprio potest dirimere. Huius verò subtilis est arguta multum lex varia non apertè sed clanculum & ex insidijs pugnans, totáque dum per amœnio-

amœniores literas rem ipsam illustrasse videri vult ad amico potiùs quàm veritati fauendum composita. Enimuerò quia nullus, opinor, tam alienus est a communi sensu quin statim videat vocem hanc non ex solo vsu quem inter Medicos obtinet, explicari debere, quemadmodum facere satis habuit Figueroa, sed istinc præterea accressedam esse eius significationem, vnde primùm in Medicinæ & aliarum Artium riuos defluxit, nempe Grammatica, quæ doctissimo Chiffletio pro palestra est, in qua continuò palmas sibi legit eruditionis & gloriæ nunquam intermorituras, minùs propterea mirum videri potest si vox ipsa *Aciæ* quæ velut in confinijs jacet Grammaticę & Medicinæ, ac vtriusque opis indiga est, nondum perfectè

perfectè explicari potuerit, vel a Figueroa, qui Medicinæ soli confisus, veritatem quidem offendit, sed tanquam in media nocte nudam, spoliatámque suis vestibus & ornamentis; vel a Chifletio qui vestes & ornamenta istius vocis quæ ab humanioribus literis petuntur penes se quidem cum haberet, hæc tamen non dicam Medicinæ ignoratione, sed obsequio forsan in Amicum, aut aliquo alio errore deceptus non induit veritati. Quamobrem, Doctissime Rhodi, cùm præclara tua indole raptus & sapientissimorum Virorum consilijs, quæ tu semper maximi fecisti persuasus, eo vsque ab illo tempore, quo egressus ex angustijs tenuioris literaturæ ad grauiorum disciplinarum limen penetrasti animum semper intendens vt

hasce

hasce politioris Sapientiæ cortices literulas,in quarũ sinu Philosophię robur olim concreuerat, quantum fieri posset ad Medicinæ cultum & ornatum reuocaret, tum erat profectò controuersiam hanc, quemadmodum doctè & eleganter fecisti cum mutis simul harum præclarissimarum disciplinarum adjumentis componere, sed amabo te, cui bono! tanta tui ipsius diffidentia,tanta dilatio & procrastinatio librorum, quorum editionem etsi præ tua modestia nec laudes, nec vrgeas, omnes tamen Amici, quos habes plurimos & valde celebres, illam a me tanquam ab Ergodiocte tuo repetũt, non arbitror alia de causa, nisi quòd optimè norint quantum conuenit inter animi mei propensionem & merita tua; sed nec illi

qui tibi prorſus ignoti ſunt ab eiuſdem ſollicitatione parcunt, apud quos frequenter narrare ſoleo latere Patauij hominem ex vltimo Septentrione illuc delatum excolendi animi gratiâ, judicio exquiſito, doctrina rara, morum candore & facilitate mirifica præditum, qui eruditus ipſe ab optimis, eruditos alios & optimos faciat, quem honores, quos fugit, inuitum ſequuntur, cuius ſuaſu præclara multa fiunt & ſingulis rebus ſplendor & decus accedit: dum ipſe interim tacita meditatione nominis ſuæ gloriæ elaborat per literarum monumenta propagandæ. Hoc verò elogio quantum putas in illorum animis accendi deſiderium videndi aliquando non Celſum tuum, quem, vt inquis Vaticani Codices manu exarati remoran-

ſollicitus, profectò vrgent me vehementer tot ſponſiones, quas audacter feçi de re, quæ mihi videbatur omnium eſſe certiſſima, te verò dificultates multæ non minùs premunt, ingenuus pudor, liuor Ronchi, Obeli Aſteriſci, & cõcitata de te, tuiſque virtutibus & præclaris animi facultatibus in omnium animis expectatio; verùm quoniam hæ non ſunt tanti vt longè grauiores non ſuccreſcant continuò ac velut pullulent ex tui libri retardatione, quæ iam incipit omnibus admodùm diſſicilis & moleſta eſſe, oro te per quidquid eſt in Amicitia ſanctum & inuiolabile vt eius editionem quam citiſſimè fieri poterit, maturare velis & tuo ſimul ac honori meo conſulere. Vale, Dabam Reate Idibus Martij 1636.

a ſitu & puluere antiquorum Auctorum monumentis non eſtimet eſſe ſingularem & meo quidem judicio parum intelligere videatur quantum interſit Reipublicæ Literariæ naufragium iſtud ingens omni ope & conſilio reparari, cuius occaſione factum eſt vt quæ olim a doctiſſimis Viris magno labore elucubrata fuerant, ea noſtram ad ætatem peruenire omnia minimè potuerint; ſiuè neceſſitudinem conſidero, quæ præclaris ac illuſtribus officijs arctiſſima dudum inter vos coaluit & nouis quotidie confirmata, indiſſolubilis deinceps futura eſt; Næ ego qui vtriuſque veſtrûm amantiſſimus ſemper extiti haud ſatis ex munere meo facere viderer, ſi hanc occaſionem nactus, quánam inter nos ſimus animi propenſione at-

que affectu omnibus significandi, hanc ad aliquem alium conuersus efluere mihi ac elabi permitterem Siue denique in Salustium ipsum respicio,qui incredibili quadã virtute de rebus arduis & sublimibus dicendi non omnium quidem, sed doctissimorum manibus attrectari gaudet, ne quemadmodum gemmis & vnionibus contingit, si non inter κειμήλια asseruetur,continuò vilescat, quî meliùs, amabo, voluntatem eius exhaurire potui, quàm si dum Leone Allatio discedit homine supra vulgus literatorum noto, eam ad te transmittam, qui non postremus quoque inter scientiarum proceres cluis, & eo potissimùm nomine Principi, Eminentissimo tuo Francisco Barberino maximo ac vnico Literatorum fautori & ingeniorum censori acerrimo

accerrimo gratiſſimus merito, acceptiſſimuſque haberis; enimerò præter has cauſas, quæ me in tui cultũ &obſequium ſponte currentem impulerunt, vt acceptum aliquot jam annos ab homine mihi amiciſſimo & fidei meæ atque diligentiæ concreditum hunc libellum in tuo nomine apparere vellem, acceſſerunt etiam aliæ, quæ ſatis per ſe, mihi vt iſtud facerem, in animum inducere potuerant, linguę ſiquidẽ Græcę peritiſſimus es non minùs certè quàm decretorum veteris Philoſophiæ, cuius noſter hic Saluſtius ἐκλεκτικῶν omnium qui a Patamone fuerunt, vnicus quod ſciam, ac ſapientiſſimus qui ad nos peruenerit, adeò variè frequenterque ſuas vt opiniones fulciat & illuſtret meminiſſe deprehenditur, vt qui hanc aſſidua

ſtudiorum contenſione ex ſingulis Philoſophorum Scholis perſpe-ctam, multúmque antea cognitam vſu & exploratam non habet is multum ex illa voluptate remittat neceſſe eſt, quæ tibi abſque vllo obice quoſuis auctores euoluenti liquidiſſima plerumque ac ſuauiſſima contingit. Quare cùm de iſtius præſtantia dubitare non poſſis, haud magis profectò quàm de meo vel integerrimi doctiſſimíque Viri Leonis Allatij in te amore ac propenſiſſima voluntate. Reliquum modò eſt vt & hunc Philoſophum cui longa jam ſeries temporum emenſa & doctrinæ vis, ac maximorum Virorum Damaſcij, Suidæ, aliorúmque teſtimonia non minimum ſuffragantur ad laudem tua pariter commendatione aut, aliorum velis & nos præterea
qui

qui tibi tuísque eximijs virtutibus fauemus impensè, mutuo etiam redames, eoque affectu prosequaris, quem hactenus in te sumus experti valde cumulatum & constantem. Vale, Dabam Reate, pridie Kalendas Apriles 1636.

LIV.

Federico Vbaldino suo Gabriel Naudæus. S. P. D.

Vrbinum

DIsperã, Vbaldine suauissime, ni tuæ me literæ ea voluptate perfuderunt, quã nusquam in eo genere officiorum optaui, aut sensi majorem. Scis enim quàm impensè tuo senio faueam etiam petulco, etiam irato, blandienti, ludenti, tardo, sollicito, tot enim modis Vertumnum inter Amicos simulas & ludos aliquando facis propensæ eorum in te voluntati;

verùm quia æquali semper gratia & lepore in hanc te morum varietatem induis, vt me tua omnia mirificè capiünt & delectant, sic ista prorsus jucundissimæ tuæ consuetudinis diuersa ratio majorem mihi in modum persuades vt te arctiùs complectar juuenem liberum, eloquentem, amœnum, Nobilem, & quod inprimis duco mei valde studiosum; quare amo te, mi Vbaldine, quantum homo hominem potest & si rursus non asseruerem gratissimas mihi fuisse tuas literas, non quòd mihi præter expectationē redditæ fuerint, sed quòd humanitatis, eloquentiæ, & beneuolentiæ plenissimæ sint, minus equidem quàm vellem, imò quàm debeo putarem officio meo a me fuisse satisfactū; interim verò vt earum potissimum
capitibus

capitibus respondeam, quæ mihi videntur maximè responsionem flagitare. Reatinus ille qui tam serus fores tuas pulsauit, homo est optimus & honestissimus, quem ab alio viro mihi amicissimo souendum modis omnibus ac ornandum suscepi, is monumenta quædam Reatina, cùm priscæ, tum recentis memoriæ typis parata habet quibus vt lineas aliquas ac veluti fimbrias adderem, rogauit me enixè; eum igitur quibusdam meis consilijs adiutum volui, & opportunitate insuper operæ tuæ, quam si illi commodaueris, præterquam rem mihi gratissimam facies, tui præterea nominis commendationi prouidebis egregiè, sanè cùm penes te habeas antiquarum Inscriptionum collectionem institutam olim Sebastiano Maccio Du-

rantino per ſingulas Italiæ Ciuitates, putaui non minimum ponderis & momenti iſtiuſce mei Amici laboribus acceſſurum, ſi earum illi copiam faceres, quæ hîc quondam ab Antiquariis inuentæ fuerunt & exſcriptæ, quod etſi te commodi publici de cauſa facturum certò ſcio, velim tamen ipſe intelligat nullam rem ſibi majori vſui aut ornamento apud te quàm meam commendationem eſſe potuiſſe, ſic enim rem & tua conſcientia & noſtra amicitia dignam facies, mihique in animum induces vt etiamſi jam pridem videatur mihi meæ erga te beneuolentiæ meóque ſtudio afferri non poſſe incrementum, eo tamen pignore tuæ in me propenſionis accepto, impenſius adhuc te diligam. Vale dabam Reate 3. Nonas Iulij, 1636.

LV.

Perillustri & Excellentissimo Viro Domino Ioanni Beuerouicio Medico Dordracensi Celeberrimo, Eruditissimoque. Gabriel Naudæus, S.P.D.

Dordracum.

NEque tu prædicanti de me Slingelando nostro tam facilis esse debuisti, Beuerouici Eruditissime, nec ille satis ex æquo fecit, qui me nunc in ruborem dat, sua ne dicam ornandi me & extollendi antiquissima voluntate, an beneuolentia & humanitate tua in omnes literatos; vtriusque certè testes mihi sunt & literæ tuæ & comes addita literis Medicina Philologica, quam si nisi acceptissimam fuisse dixerim, non equidem mentiar, etsi dissimulare illud vellem, non tamen possim aut-

debeo, qui sæpius in animo habui easdem versare glebas antiquioris doctrinæ, vt copiosa illius & eleganti messe latifundia Artis nostræ ditarem. Cogitabam enim quàm exsucca illa sunt & ingrata suis cultoribus, quàm dumetis & sentibus horrida, quàm barbarie fœdata, quàm nullo ornatu peregrino nulla sententiarum varietate, nulla, quæ ex humaniori cultu petitur suauitate distincta, nec aliud desiderio meo obfuit nisi quòd supra vires erat, quas nondum ad istud opus planè confirmatas habebam; quare non artem integram sed ex Arte Quæstiones aliquot Iatrophilologicas hactenus emisi, quas si tu videris, Beuerouici humanissime, non equidem dubito quin me tecum in eadem cogitatione fuisse tibi pro certo persuadeas, &

ita me Deus amet pro candore illo eximio, quem in te ſum expertus verba tibi narro candidè & ſincerè. Gratulor igitur tibi primùm quidem mea de cauſa, quem Aulæ addictum, & nouis ſubindè laboribus, quanquam non illiteratis diſtractum hoc grauiſſimo ſubleuaſti, quem Spartæ noſtræ excolendæ causâ ſuſcipere agitabam quotidie in animo. Deinde etiam tui causâ lætor, qui vir magnus clues, imò maximus hoc edito Opere tam arguto, tam docto tam eleganti, tam vario, tam jùcundo & vtili; nam ſi Lipſio a Ciuili doctrina tantus honos, qualis tibi ſperandus eſt ab vniuerſa Medicina, eruta, aucta, exculta & gemmis ac vnionibus donata pretioſis; equidem immenſum illum tibi auguror & voueo, Amiciſſime B.-

ueronici, téque nunc in oculis habeo, quem suspiciam, quem amem, cui me, meaque omnia probari imposterùm velim, vtque æterno beneficio me tibi deuinxit Slingelandus noster, cuius opera factum esse intelligo vt ego te ista doctrina ornatum, ea facultate scribendi preditum, tanta beneuolentia & humanitate donatum, non modò cognitum, sed amicum, imò & laudatorem habeam, sic vobis ambobus me totum offero & dedico paratissimum ad omnia, téque oro enixè & obtestor vt me in tuis habere non dedigneris, & verò plura adderem ex affectu & officio, sed Typographi obstrepunt & interturbant egregij aliàs procrastinatores, nunc verò molesti in vrgendo Syntagmate meo de Studio militari, quod si quà possim breui

breui accipies, ſed fermè deſpero niſi ipſe etiam aliquid de tranſuectione monueris, Nautæ ſiquidem aut mulionis onus eſt, non Tabellarij. Vale. Dabam Romæ pridie Kalendas Martias 1637.

LVI.

Doctiſſimo Viro Domino Petro Gaſſendo Doctori Theologo & Philoſopho Celeberrimo Gabriel Naudæus S.P.D.

Luteṫiam.

PRouocatus non ſemel Obſeruationibus Aſtronomicis, quarum per me copiam fieri voluiſti celeberrimis hominibus Fortunio Liceto & Scipioni Claramontio, ac literis tuis inſuper ad officium mutuæ neceſſitudinis, quæ dudum inter nos arctiſſimè coaluit, ſollicitatus; peramanter omnino te facere intellexi, qui me tandiu ſilentio vſum fuiſſe, quæ tua eſt ſin-

gularis humanitas & beneuolentia non molestè tulisti; satisque amori nostro & singulari meo in te obsequio factum fuisse existimasti si dum vrgebam Syntagma meum de Studio Militari, hoc interim spatio nihil ad tuas responsi dederim, nisi quod amantissimo vtriusque nostrûm Clarissimo Peireskio frequenter significabam me, cùm per otium liceret talem habiturum rationem eorum omnium, de quibus egisti mecum per literas vt ne quidem de suauissima tua vrbanitate queri posses, quod illa non similibus a me jocis ac salibus excepta fuerit, & facetiarum colludio, gratissimáque vicissitudine compensata. Sed heu rerum vices! heu fata infanda! heu mors acerba & infensa bonis omnibus, quæ gestienti lætitiæ intercessit Viro

incomparabili Peireſkio, tunc cùm nihil minus quam de eius occaſu timebatur, è viuis ſublato. Vbi enim Crinitum Sidus effulſit? vbi de Cælo intonuit? Vbi Terræ motus & fragores inſolitiſpectráque & portenta apparuerunt in eius Viri omniũ maximi, omnium optimi, ſapientiſſimique interitu? Sanè ludunt nos & fallunt ſuauiter Hiſtorici cùm nullos Principes abſque ijs ſignis interijſſe referunt, ex quibus hariolationi de eorum impendente fato locus eſſe poteſt. Nam amabo te, Gaſſende, quî fieri poteſt, ſi Mundus non caſu regitur (vt certè diuinæ illum prouidentiæ arbitrijs gubernari certiſſimum eſt) quòd Cælo curæ ſint homines, non plerumque meritis, ſed fortunæ cæco impetu, rerum gubernaculis admoti, nec vlla re,

quàm ſuis opibus & potentiâ (quâ ſapientiſſimè in hominum perniciem, per ſummas vitæ turpitudines & flagitia abutuntur) commendati, & ipſi interim ſilente Cœlo, non curante Lunâ, nemine quidquam nouum aut inſolens in Elementis, atque venturi (ſi quæ ſunt) præſcijs Animalibus obſeruante, mortem oppetant, qui virtute Regnum ſibi ampliſſimum honeſtiſſimúmque inter homines compararunt, qui mortalium omnium commodis nati, omnes operâ, ſtudio, induſtria iuuant, omnium conatus vrgent, promouent, extollunt, quíque Orbem vniuerſum in ſui admirationem trahunt famâ & commendatione meritorum? Huiuſmodi verò laudem ſi Peireſkium vnum noſtris, elapſiſque ab omni æuo temporibus

poribus cumulatissimam tulisse dixerim, non est quod aliquis reclamet, nisi aut virtutis hostis, aut laudis inuidus, aut ignarus rerum, de quibus boni omnes & Eruditi consentiunt. Ecquis enim ipso vnquam aut peritior extitit Antiquitatis, Naturæ, Temporis, Historiarum, Linguarum? aut promptior juuandis Studiosorum laboribus quà voce, quà literis, quà libris, quà signis, plantis, animalibus, Picturis, Numismatis & antiquæ, recentisque memoriæ similibus monumentis? Aut aptior denique qui istud facere posset voluntate, opibus, auctoritate, scientiâ, prouidentiâ, cæterísque virtutibus, quarum mutuâ consensione ornatus sit oportet, qui instar Clarissimi Peireskij Orbem Literarium suis nutibus & votis tempe-

randum suscipit. Quod equidem facere quàm arduum sit, tu verò, Gassende, istud conjicere potes, vel inde quod si in priscorum Heroum exempla recurras, qui istud similiter fecerit, inuenies prorsus neminem: Atque vt elapsa proximè tempora Vincentium Pinellum & Dominicum Molinum tulerint non multùm fortasse studio & voluntate juuandi Litteratos inferiores Peiresкio; nescio tamen quomodo adiumenta varia illis defuerunt quæ huic nostro & cõmuni omnium Mæcenati, vt plena velificatione cursum hunc à prima statim adolescentia institutum, ad affectam vsque ætatem perduceret, in causa fuere. Enimerò quanta etiam façilitate istud præstiterit, nemini obscurum esse potest nisi qui Solem non videt
Meridie

Meridie pleno. Quis enim nescit os eius non hominis,sed Apollinis Delphici fuisse,ex quo Oracula de rebus omnibus abstrusis & incognitis quotidie reddebantur? Domum verò instar celeberrimi Emporij, mercibus pretiosissimis ex vtraque India, Æthiopia, Græcia, Germania,Italia,Hispania,Anglia, vicinioribúsque Prouincijs refertam extitisse? nullámque nauem Galliæ Portus intrasse quæ non aliquod animal peregrinum, non plantas exoticas, non marmora priscorum cœlo sculpta, aut exarata, non Codices Samaritanos, Coptos, Arabas, Hebreos, Sinenses, Græcos, non erutas ex Bosphoro, aut Peloponeso Antiquitatis penitissimæ Reliquias, in vnius Peireskij Cimeliarchium inferret? Quem denique latere potestnon

conquisitas ab eo fuisse tot opes in propriam tantùm oblectationem, aut Musæi sui ornamentum, in quo laterent ipsæ tantùm in Fauissis Capitolinis, aut Sepulchris, vnde nefas esset quidquam eruere ac depromere in aliorum commoda; sed Peireskium hanc sibi legem statuisse vt si quos in Orbe Literario suis consilijs, opibus, libris, statuis, marmoribus juuari posse intelligeret, non expectaret ipse vt morosè precibus illud à se efflagitarent, sed vltrò offerret, inferrétque in eorum ædes, ac penè dicam Literatos omnes obrueret beneficiorum suorum magnitudine, & frequentiâ? Verùm quid opus est, optime Gassende, vt hæc ad te scribam, qui plura oculis ipsis in maximo illo Heroe obserre potuisti facinora, commenda-

tione

tione omnium hominum, ac memoria, æternitatéque temporum dignissima, quàm quiuis alius, nisi tu ipse qui amore in eum, ac dicendi, scribendíque lepore nemini concedis, munus istud in te recipias, scriptis vnquam consignare possis? Profectò cùm nulla eius vitæ pars miraculo caruerit, cùm nullus vnquam exortus sit cui plura, aut meliora debeant studijs, doctrinísque præstantioribus dediti homines; cùm eorum omnium, quæ pulchrè, eleganter, doctè per anteactas aliquot annorum decades scripta, aut obseruata sunt pars maxima fuerit, nec ipse mortalis existimandus sit nisi morte ipsa, proh dolor! immaturâ, atque immiti in eum, qui nunquam occumbere debuisset: Certè non cuiusuis esse intelligo me-

ritorum eius famam transmittere ad posteros, nam vulgari ore istud facere piaculum est; parem verò tanti viri, inusitatis, incomparabilibúsque meritis inuenire Orationem, videtur mihi omnino difficile. Quamobrem istius *Musarum curatoris*, siue vt cum Athenæo loquar ἐπιμελητοῦ τῶν μουσῶν vitæ summam ex Orbe vniuerso, per quem diffusa illa fuit; in angustum aliquod volumen contrahere. Hoc equidem vnum est, quod nisi tu, doctissime Gassende, præstiteris, qui sermone vales puro, eleganti, castigatóque & assueto rebus Diuinis ac cælestibus celebrandis, cuiusmodi omnino Peireskium fuisse nemo non bonus existimat, quíque supremos illos Orbes, eorúmque miracula, quæ profectò non latiùs patent, quàm

Peiref-

Peireskij fama & merita, in exilem globum ſolertiſſimè reducis; vix certè alium inuenio, qui defungi hoc munere adeò commodè, feliciterque poſſit. Nam etſi omnes qui Peireskio amici fuerunt ingenio, facultatéque dicendi valeant, & omnibus illis non ſecus atque tibi,negotium incumbat celebrandi Virum, cuius recordatio ſanctiſſima illis eſſe debet, licet etiam multa, quæ de præſtanti eius ingenio, laborum contentione & mirifica voluntate bonorum omnium conatus ſubleuandi, dici atque afferri in medium poſſent,ea cuius ex præſtantiſſimis illius facinoribus æquè ac tibi cognita eſſe potuerint; fatendum tamen eſt quęcunque maiora ſunt ex eius laudibus, iſta propter intimam, quæ tecum illi fuit con-

ſuetudinem, & aſſiduum multorum annorum conuictum atque vſum, & faciliùs animaduerſa a te & proſpecta certiùs quàm ab alijs fuiſſe. Quare age, mi Gaſſende, calamum ſume, inſeruire ſolitum maximis Viris aut tuendis, aut celebrandis, non minùs ſanè quàm Cælorum, Naturæque miraculis explicandis? Et cogita apud te fore ex vſu omnium, qui literis dant operam & dignitate Patriæ noſtræ communis è Principū atq; Magna tum gloria & ſplendore vt eius Viri imaginem, qui omnibus incitamento & adiumento fuit ad Virtutem, non ſolùm ad intuendum verùm etiam ad imitandum pro tua in viuentem, defunctúmque pietate, quæ prorſus egregia fuit, exprimas. Ego verò qui clariſſimum Peireſkium eius loco

ſemper

ſemper habui, in quo vires ſuas Natura potiſſimùm experta eſt, vt hominem produceret, cui nihil deeſſet, quod eximium, honeſtúmque Mortalibus concedi in hac vita poſſit; illúmque pro eo, ac debeo, verbis ornare non poſſim, quorum me pauperem reddit copia meritorum. Propterea hoc vnum vt facias enixè à te coetendo, arbitraborque meæ & reliquorum pietati, qui Peireſkianos manes æterno cultu, gratiſſimáque veneratione proſequi debemus, factam eſſe ſatis ſi non modò eruditiſſimum atq; munificentiſſimum, quod Orbis vniuerſi judicio comprobatum eſt, ſed abſque exemplo maximum ac optimum Virum fuiſſe Peireſkium, ſummúmque Literatorum fautorem, & cùm prudentiâ, tum eru-

ditione, ac omni Virtutum genere excellentem, eóque nomine inter Seculi nostri miracula habendum, colendúmque per te & præsens ætas & futura cognoscat. Vale & nisi luges adhuc, lege quæ lugens & ingenti, subitóque mœrore perculsus scripsi Romæ 17. Kalend. Augusti 1637.

LVII.

Cæsari Crinellato Medico Viterbiensi Doctissimo, Gabriel Naudæus S. P. D.

Viterbium.

AMo tuum Genium, Cæsar Crinellate, imò amplector & suspicio noua quotidie molientem, noua depromentem in tui & aliorum commoda, velimque omninò ita me Deus amet vt illú sæpissimè oro & obtestor quo ætatem qua te prouectiorem esse audio in longos annos producat, si com-

communi hominum saluti bene esse velit, quam non opera modo singulis diebus promoues felicissimè, sed quatenus in posterum sarta, tectáque seruari possit scriptis tuis oppidò præclarissimis nos etiam edoces; sanè cum multorum lucubrationes non vna omnes, eademque de causa pretium sui faciant apud ingenuum Lectorem tuas commendari potissimum video ab admirabili quadam facilitate, quæ seu breuitatem quis requirat, seu dicendi narrandique suauitatem & aperta atque complanata omnia quæ minus eruditos remorari possent, & quasi obice retardare, tanta profectò in illis est, vt illecebris quibusdam Tyrones alliciat & non vulgariter literatos afficiat summa prorsus delectatione. Certè quantum ad

me pertinet, ita me dudum cœpit quidquid tuum eſt, vt cùm libros de Vino, de febribus, de Thermis, de Muſica, de Chaldęorum officijs, de Generatione, & de primi & ſecundi Phyſicorum explicatione, tandemque nouiſſimum de optima medendi ratione Commentarium pridem euoluerim, cupiam nunc intelligere ſi qui præter hos publici a te juris facti ſint, auditurus tam libenter num & quidam alij futuri ſint in hominum votis & expectatione. Quamobrem ſi me hominem non ita forſan tibi notum, ſed maximopere tamen ſtudioſum tui, illudque non aliquo meo merito expoſcentem, quod ſatis mihi quàm apud te nullum ſit exploratum eſt, ſed partim oblectatione quam ex tuis libris capio, profe-
ctò

ctò maximam, partim etiam voluntate promouendi atque illustrandi bonorum omnium conatus, non indignum habueris cui pro tua egregia humanitate & beneuolentia morem hac in re geras, efficiam omninò ne te pœniteat exarati ad me librorum tuorum Indicis, fructusque ex hoc meo voto constabit, vt opinor, imò verò vt certis de caussis audeo tibi polliceri vtrique nostrum quàm amplissimum Vale, dabam Reate 9. Kalendas Septembris 1637.

LVIII.

Petro Baptistæ Burgo Viro Clarissimo, Gabriel Naudæus S. P. D.

Genuam.

TVis literis, Petre Burge, ita sum affectus, vt si eas incredibilem nisi voluptatem attulisse

non videat quàm disertè laudem verbis extenues, quæ tibi ob Commentarios de recenti Gothorum incursione in Germaniam pari certè facundia & veritate conscriptos tibi non vulgaris obtigit, vt beneficium augeas quod a me in ipsorum honorifica appellatione collocatum in te fuisse existimasti. Ego verò Clarissime Burge, si is apud aliquem beneficium posuisse dicendus est, qui ex animo loquens virtutem extollit etiam in ignotis sibi hominibus, in quibus singularem illam resuisse animaduertit, sanè non recuso quin istius officij recordatione obstrictus mihi sis, deuinctúsque in posterum. Historiam enim de bello Suecico elegantem vocaui, non vt tibi ablandirer homini tunc vix dum mihi de facie noto,

ſed quoniam illa eiuſmodi planè eſt vt a nemine citra elogium quod eius eximiis virtutibus tribuatur, appellari vnquam debeat: verùm cùm tu mihi antehac nulla quidem neceſſitudine quæ internos extiterit, ſed ſola tua virtute amabilis fueris, cogitandum nunc tibi relinquo quantum amori in te meo accedere debeat incrementi ex officioſa tua Epiſtola in qua mihi non modò gratias agis beneficij accepti, ſed etiam refers cumulatiſſimè cum ſignificatione tuæ erga me voluntatis quam profectò maximam eſſe ex verbis tuis cognoſco, tum & judicio de meo Syntagmate, quod tam præclarum atque excellens facere voluiſti. Quare dabo impoſterum ſedulò operam, ne me officij iſtius, quod mecum nuper inire

inire voluisti, parum memorem esse intelligas, & cum Amicis, quos hactenus colui certè non paucos Syntagma illud meum aut per me offerendum, aut per amantissimum mei Leonem Allatium curauerim. Non committam omninò te, qui adeò benignè, amantérque me complexus es, & de hoc Syntagmate mihi gratulandum esse duxisti, eadem mei, in tè, amoris atque officij significatione diutiùs frustrari, agámque proximis literis cum doctissimo Allatio, vt & librum hunc meo tibi nomine offerat & sponsorem se exhibeat eius voluntatis, quam nusquam non fore in tua commoda maximoperè propensam, addictamque tibi promitto & spondeo. Vale, Dabam Reate 8. Kalendas Septembris 1637.

LIX.

Ioanni Beuerouicio Medico & Senatori Dordrechtano Amplissimo, Consultissimoque, Gabriel Naudæus S.P.D.

Dordracum

INtellexeram dudum ex priori tua Epistola, Beuerouici Senator Amplissime, quàm multum valeres in scribendo, nunc verò ex binis posterioribus, quas ad me dedisti, cognoui planè quantus etiam in amando & qualis Vir existimandus sis, qui non satis habuisti me in vna illarum de tuis laboribus & studijs familiariter admonere, sed præterea voluisti fructum me ex illis capere vberrimum, dum alteram mittis, qua securus famæ, certus immortalitatis & gloriæ tuæ socius ac particeps vitam in posterum agam feliciter & jucundè. Neque enim, Beue-

Beuerouici, tam auguſtè ſentio de tuis lucubrationibus vt non perſpectum mihi planè atq; exploratum ſit futuros in maxima hominum opinione eos omnes, quorum nominibus inſcriptæ feruntur in publicum, ſed eam præſertim de calculis in homine eiuſmodi eſſe mihi perſuadeo, vt cum mutuæ noſtrę neceſſitudinis auſpicio prę-clara quædam & valde illuſtri beneuolentiæ tuæ ſignificatione firmando deſtinata fuerit, tum & augendæ gloriæ & ſtabiliendæ immortalitati meę plurimum conducere debeat; credet enim poſteritas aliquid judicio de me tuo, & quem tu in amicum adlegiſti quem Operis tui cenſorem vocas, cui probari & placere deſideras, eum omninò ſupra commune Literatorum fatum extitiſſe tam fa-

cile secum ipsa reputabit, quàm verum est me hactenus tui similium adorasse vestigia & reuereri solitum eas dotes, quas Heinsius & Barlæus ac reliqui Academiæ vestræ proceres literati, penes quos merito videtur extare literarum imperium, admirantur in te quotidie ac suspiciunt. Quamobrem vereror maxime, Beuerouici ne magnifice prædicanti meam eloquentiam & doctrinam, quam in me nullam aut certe perquam tenuem agnosco, illud omninò tibi contingat quod Ægyptijs olim accedit, qui Bouem pro Osyri, & felem pro Venere opinione sua falsi diutissime coluerunt, sane cùm me totum ad vnguem exploro, vt quæ mihi apud te vel familiaritatis vel gratiæ illius singularis causa fuerit, attente perspiciam, nihil

nihil profectò aliud occurrit nisi candor eximius, quo ea, quæ de me Slingelandus noster amice retulerat multò grandiora, quàm reuera sint tibi fore persuaseris, auxerisque ea pro innata tua bonitate ferme in immensum; nempe hoc modo facere voluisti vt singularis tuæ doctrinę magnitudo, cùm per se clara esset, tum beneficij istius accessione, quod in me contulisti, prorsus admiratione digna perueniret ad posteros; & quidem possunt de tuis virtutibus ita existimare, qui præstantiam illarum auditione tantum accipient; ego verò qui fructum ex ipsis supra spem omnem & expectationem percipio, tantas orationis tuæ diuitias, tot ingenij dotes, tam excultas de rebus Medicis cogitationes, nouásque sanctiones, Mu-

ſis ipſis quæ te rore & ambroſia aluere, laudandas relinquam, hanc autem humanitatem qua te vnum & reliquos omnes ſuperaſti, non niſi ad affectum quempiam diuinum referre debeo, velle enim non modò tecum antiqua officiorum neceſſitudine coniunctis, ſed immerentibus quoque, aut ſola beneficiorum tuorum recordatione tibi deuinctis, benè eſſe hunc ego arbitror eſſe habitum, quem veteres Sapientiæ magiſtri extra ſupráque omnem ambitum virtutum in heroibus ſuis ſtatuebant. Macte igitur, Beuerouici, hoc animo quo non plus pateris in te ornamentorum & dignitatis à fortuna eſſe, quàm a virtute, nec alios ita deſpicis qui tecum ſe in literis humanioribus & Medicinæ ſtudiis conferantur

nulli sunt, vt non me peramanter appellare, candidè complecti, & eruditissimæ tuæ Disputationi & Calculo præfigere volueris, licet neque officiis, neque vitæ cultu, neque splendore nominis tibi notum, atque vt verum fatear, indignum potiusquam tua approbatio tot insignibus meritis cumularet; quis enim ego sum? quo ingenio? qua doctrina? quibus ornamentis præditus, cui ab homine doctissimo, celeberrimóq; tantùm & honoris ad gloriam & officij ad cultum & laudis ad commendationem tribuatur? hoc igitur nomine quantum tibi debeam, agnosco, vtinamque mihi vt in hac immensitate beneficij tui cognoscenda non deest ingenium, nec in æstimanda voluntas, ita par daretur facultas in persoluendo quidquid

pro illa me tibi debere profiteor;
verùm quando ita jam tibi obſtri-
ctus ſum, vt qui magis tibi tua de
cauſa debeat, habeas neminem &
nullum aliud vinculum tuis in me
officijs addi poſſit ad me deuin-
ciendum, potentius profectò iſtud
etiam fuerit eximiæ tuæ humani-
tatis argumentum ſumma de me
omnia tibi polliceri, ſi beneficium
illud tuum exequare poſſem offi-
ciorum meorum magnitudine aut
frequentia, & cùm præſtare hoc
vnum minimè poſſim, voluntatem
hanc referendæ gratiæ, quæ in me
profectò ſumma eſt, pro relata
gratia accipere, nam quod breui
ſpero oblatam iri ex ſtudiorum
meorum ratione occaſionem ali-
quam declarandæ meæ in te pro-
penſionis & exiſtimationis, quam
de tua incomparabili virtute &
doctrina

doctrina facio, hoc verò tantùm abeſt vt beneficio alicui in te meo tribuendum ſit, quod potiùs vt ex tuo nomine ſæpiùs, aut in fidem, aut in patrocinium appellato conciliare mihi liceat hunc ſcriptis meis honorem, quo nullum majorem fore confido, oro te, Beuerouici, atque obteſtor enixè. Cæterùm gratulor tibi ex animo libertatem, quam tibi facis de Rebus Medicis ac Philoſophicis tuo more ſentiendi & loquendi; eſt enim abjecti animi nihil exiſtimare, vbi a natura relictum quod propria induſtria excolat, ignaui etiam illud cùm ſciat non huic negotio ſe accingere totis viribus promouendo, maximè cùm munus Reipublicæ maius & mortalium generi commodius afferri non poſſit, quàm ſi optimarum Artium diſci-

plinis eruditi homines omnem operam suam concertant in asserenda & proferenda veluti ex tenebris in apertam lucem rerum veritate, scilicet multa nondum in artem redacta sunt, multa in sinu suo natura recondit; quæ longa dies extrahet nec vlli vnquam præcludetur occasio aliquid adijciendi eorum, qui nos præcesserunt, quique nobis erudiendis elaborârunt, diligentiæ; quemadmodum, tu Beuerouici, rectè conficis exemplo Haruæi & quidni etiam Sanctorij Pisonis Vlmi, Fabricij ab Aquapendente & Asselli ac eiusmodi similium, ex quorum libris,

Omnis posteritas latices in pocula ducet,

Cùm fors tulerit vt de Medicina Statica, de Ichoribus, de nouo lienis

lienis officio, de valuulis venarum & ostiolis ac demum de lacteis venis sermones in eruditorum cœtu habendi sint, quod autem fieri istud non possit absque libera animaduersione in multos scriptores, quorum sententiæ necessariò tibi eleuandæ sunt, quo meliori tuæ locus esse possit; neque etiam hoc, Beuerouici, absque exemplo facies, qui seu in veteres scriptores respicias, qui videntur leges imposuisse nobis, seu in posteriores qui per illorum vestigia suas rationes direxerunt, comperies omninò illos non ea inter se fuisse leuitate vt sibi mutuò pepercerint; hos verò animos gestasse adeò plenos libertatis, vt cùm antiqui illi sibi viderentur in studio veritatis non frustra desudasse, negarent tamen hi quicquam ab illis tam valido

tibicine ſtabilitum fuiſſe vt euerti ſua opera, atque conuelli penitùs non poſſet; quo circa patere tibi eundem libertatis aditum tam æquum eſt, Beuerouici doctiſſime, quàm honeſtum tibi erit, atque hominum ſaluti conducibile ſi cum Dei optimi; Maximi cōceſſu & munere tam multa, támque pręclara ad ſcribendum adjumenta ſis adeptus, elaborandum his omnibus, enitendúmque tibi perſuadeas ætatem vt noſtram ſcriptis illuſtres & celebres tuis, quod equidem vt facias, Licetum tuùm eundemque meum tibi ob oculos pono, a quo vt me arctiùs complectendi deſiderium accepiſti, ita majorem in modum cupio vt exemplum ab eodem ſumas juuandi perpetuò Mortales præclaris tuis cogitationibus, quas vt impoſte-

impoſterum communicare poſſis cum hoc incomparabili Philoſopho, recipio in me futurum breui, nec tantùm in hoc ſed in omnibus alijs, quæ tua cauſa potero, dabitur a me ſedulò opera nec te vel amoris in me tui, vel honorum, quos mihi tribuiſti pœnitere vnquam debeat. Vale, Senator Ampliſſime & Syntagma meum de ſtudio Militari, quod non quarta Luna natum fuiſſe magna mea cum voluptate ex multorum judicijs deprehendo, ea quoque fauentia apud proceres veſtros Academicos, proſequere, qua & eius Auctorem ſoles, certè vnius Heinſij nomen quod mihi prope diuinum eſt in ea nec parte, nec minùs ſæpe laudaui idque tibi haud ingratum fore exiſtimo; ſed ridebis puto meam infantiam dum hæc ad te ſcripſi de

libro, quem aut fortasse nunquam aut tardissimè saltem peruenturum ad te suspicari potes; verùm Dij, precor, meliora quàm vt te aut teste istius mei laboris aut censore caream sanè liberum me facit ab hoc metu Slingelandus, qui vt bonis omnibus & literatis, quibus acceptissimus est, tibi verò præsertim, mihique bene cupit, ita nullum in præsentia non mouet lapidem, quo Syntagma meum per Amicos, quos hîc certè plurimos reliquit, quàm commodissimè fieri potest deferatur. Vale iterum, dabam Reate 3. Kalendas Septembris 1637.

LX.

LX.

Bartolomeo Tortoletto Viro Clarissimo,
Gabriel Naudæus S.P.D.

Romam

HAbebas me dudum in ære tuo Bartholomæe Tortelette Vir ornatissime, qui πολυμαθεςάτυ Leonis Allatij Græcos versus de Laurea mea Patauina Latinis totidē, iisq; cultissimis ac elegantissimis, quo me tibi immortali aliquo beneficio deuincires reddendos putasti: sed cùm expedire me ab illo quibus verbis satis honestè possem, non assequerer in hac potissimum orationis meæ infantia, opperiri placuit occasionem aliquam non conatu solum aut voluntate, sed re & factis declarandi quantum eius honoris recordatione, quo nullum vnquam optaui, aut sensi majorem, obstrictum

me tibi, deuinctúmque profitear Quamobrem statim atque liber meus de studio Militari Typographorum vinculis feliciter eluctatus asserunt se in publicam libertatem antiquius penes me atque prius omninò nihil fuit, quàm vt ad te mitteretur, non modò vt gratitudinis in te meæ ac obseruantiæ signum aliquod haberes, sed vt ille pignus esset arctissimæ eius necessitudinis qua me tibi deuinctum fore in reliquam ætatem polliceor sanctè, atque voueo. Tu verò, Tortolette, pro ea beneuolentia, quæ prorsus in te semper eximia fuit, præterquam affectum meum laudas, nec me indignum habes cui tam prolixè operam, studiumque tuum pollicearis, adeò magnifica quoque de Syntagmate meo prædicas, vt tuæ me in ruborem

literæ

literæ coniecerint, peramantes omninò & officiorum, humanitatisque plenissimæ; & sanè vix vnquam ipsas in manus sumo, quin ego totus pudore suffundar dum nihil in hac lucubratione mea reperio quamobrem lauder tãtopere, vnde licet intelligam satis superque iudicium illud tuum non tam ab industria quæ in me aut scriptis meis aliqua sit, quàm ab amicissimo tuo animo profectum, gaudeo tamen summoperè me abs te sic diligi, tuámque istam præstantem atque egregiam erga me voluntatem permagni facio, dabóque in posterum operam vt si vsus venerit, quo meam in te patefacere pênitus possim, non sis majorem erga te cuiusquam beneuolentiam aut fidem in amicitia integriorem cogniturus. Hac autem

egregia & illuſtri ſignificatione amoris in me tui, etſi haud mihi poſſit quicquam eſſe jucundius, fatebor tamen maiorem in modum mihi placuiſſe quod liberè ſignificas, nihil propius fuiſſe quam vt ſauciauerint te aculei illi, quos aduerſus homines ſtudijs doctrinæque deditos in Præfatione mea contorſeram; etenim cum occaſio inde oblata tibi fuerit patefaciendæ tuæ circa literarum vſum ſententiæ, quam valde probo, tum verò mihi eadem ratione licentiam fieri exiſtimo declarandi tibi quibus de cauſis adductus & in Præfatione mea & non paulò etjam remiſſiùs cùm de Imperatoris ſcientia diſputo tam acerbum me & quod alicui forſan videbitur infenſum literis omnibus, literatiſque Viris præbuerim; hoc verò,

Torto-

Tortolette ſapientiſſime, caue omninò factum putes inuidentia quadam, vel leuitate, æſtuque animi aut a ſeipſo aut a cæteris omnibus alieni, quem ne ſatietas vel odium rei literariæ, eorumque omnium, qui diſciplinis operam nauant, cœperit. Nam Deum mihi ita bene propitium oro vt doctos homines admiror, vt ipſis beneuolo, cupióque feliciter & ex voto fauſta omnia procedere, ſed cùm ipſos video nulla de re inter ſe conuenire, de qua ſemel digladiari cœptum ſit, non eas virtutes exercere de quibus in Scholis diſputant, non rectiùs loqui, aut ſentire de rebus quàm pueri & vetulę ſoleant, nullis denique commodis ditare Mortales, quibus ipſi non æquiſſimo animo carere poſſint; nihil de nouo proferre, quod operę

pretium haberi debeat, nec adjumenta ea, aut ornamenta moribus addere, quæ cultiores illos, aut ſanctiores efficiant; quin imò literas ipſas, naturam potiùs omnem offucijs, pietatem contemptu, mores turpitudine, leges ſcrupulis, hæſitationibus ἀπορίᾳ, vitámque occupationibus inertiſſimis, & quæ nullo fermè vſui ſint, corrumpere atque deprauare, exploratum ſit. His profectò de cauſis quas in ſinum tuum effundo, Tortolette, temperare mihi non poſſum quin omninò interdictum vellem hominibus vſu literarum, quarum ea nunc eſt frequentia, ea corruptela, is excelſus & abuſus vt nulla magis hodie quàm ipſarum intemperantia laboremus; quod equidem etſi tibi ſecus videri poſſit, non tam ex eo rem ita ſe habere

vt

vt tu quidem conijcis arbitror quam naturam tuam & moderationem laudo ferre potes ea & dissimulare quorum continua recordatio maxima me & incredibili torquet molestia, seu quod animus meus nondum planè confirmatus sit paribus exemplis jacturæ & emolumenti quæ ab literarum cultura vicissim proueniunt, seu quòd ille plus ex Stoa in ortu suo quàm ex Academia duxerit, aut ita pridem assueuerit singula quæque ad Critolai lancem expendere vt nihil propemodum inueniat in Scientijs & historia quod non inuolutum sit mille difficultatibus, non obsitum mendacijs, non eiusmodi denique tricis & apinis deturpatum, quas faciliùs sit vnà cum literis damnare, quàm perpetuò cruciari in earum vanitate dete-

genda. Quod equidem non ita loquerer, Tortolette, si quemadmodum tu facis, ita cæteri summo cum judicio literis ab bonam mentem vterentur; verùm tamen vt intelligas quo loco sit apud me commonefactio tua, & quanti faciendum duco quidquid prius a te factum viderim, mitiùs inposterum agam cùm literis tuâ quidem de causâ, qui tam amanter postulas istud vt faciam, tuam verò meâ etiam qui nolim bellum suscipere aduersus eos, quorum me in tribu censeri & tua, optime Tortolette, & quorundam aliorum opinio est vtinam sanè falsa nec inanis & sane quo faciliùs abripi me patiar communi illo & valde amabili multorũ errore, qui totos sibi dies excolendo ingenio, doctrinæque rudimentis insumendos putant

non

non equidem nego impelli me, vrgerique natura mea, quæ liberalis otij, si quæ alia, percupida semper fuit, sed vehementiores mihi deinceps stimulos addet exhortatio a te profecta homine inter grauiora studia versari consueto, qui multa jam singularis doctrinæ monumenta dedisti, pluráque in diem proferes digna tuis studijs & ingenio quod habes ad illud omne quod tangis expoliendum, ornandumque, parato si modò Deus Immortalis ætatem tuam pro meo & Allatij nostri ac bonorum voto, qui tibi fauent impensè, quique non pauci sunt, in longos annos prouehat quemadmodum certè quin hanc tibi gratiam facturus sit, non est apud me dubium. Vale. Dabam Reate 14. Kalendas Octobris 1637.

genda. Quod equidem non ita loquerer, Tortolette, si quemadmodum tu facis, ita cæteri summo cum judicio literis ab bonam mentem vterentur; verùm tamen vt intelligas quo loco sit apud me commonefactio tua, & quanti faciendum duco quidquid prius a te factum viderim, mitiùs inposterum agam cùm literis tuâ quidem de causâ, qui tam amanter postulas istud vt faciam, tuam verò meâ etiam qui nolim bellum suscipere aduersus eos, quorum me in tribu censeri & tua, optime Tortolette, & quorundam aliorum opinio est vtinam sanè falsa nec inanis & sane quo faciliùs abripi me patiar communi illo & valde amabili multorũ errore, qui totos sibi dies excolendo ingenio, doctrinæque rudimentis insumendos putant
non

non equidem nego impelli me, vrgerique natura mea, quæ liberalis otij, si quæ alia, percupida semper fuit, sed vehementiores mihi deinceps stimulos addet exhortatio a te profecta homine inter grauiora studia versari consueto, qui multa jam singularis doctrinæ monumenta dedisti, pluráque in diem proferes digna tuis studijs & ingenio quod habes ad illud omne quod tangis expoliendum, ornandumque, parato si modò Deus Immortalis ætatem tuam pro meo & Allatij nostri ac bonorum voto, qui tibi fauent impensè, quique non pauci sunt, in longos annos prouehat quemadmodum certè quin hanc tibi gratiam facturus sit, non est apud me dubium. Vale. Dabam Reate 14. Kalendas Octobris 1637.

LXI.

Petro Baptistæ Burgo Viro Clarissimo, Gabriel Naudæus S. P. D.

Genuam

EGo verò, suauissime Burge, nunquam putassem mihi denuò luctandum esse cum tua humanitate & beneuolentia, quam semel expertus cumulatissimam, nihil ampliùs erat quod nouo officiorum genere onus mihi imponere sanè perquam molestum & difficile, aut omninò tacendi de tuis eximijs virtutibus, aut saltem loquendi de ijs, non vt maximè vellem & deberem, scilicet quo me in eiusmodi angustias conijceres non satis habuisti binas ad me literas dare, omnium quas vnquam acceperim officiosissimas elegantissimasque nisi & Commentarios tuos rerum Germanicarum addidisses

disses munus oppidò mihi carissimum sua cum puritate sermonis, tum narrationis pręstantia & quod extremum fuit, teipsum quoque & clientem & Amicum obtulisses. ô me igitur felicem cui tot bona contingunt & ab homine præsertim quem vt antea in maxima semper existimatione habui, sic & in præsentia experior illa laude non maximopere dignum esse,quę optimo cuique & honestissimo tribui absque fuco & adulatione consueuerit. Sed quid amplius dixerim me miserũ cui summæ tuæ comitatis & prolixa beneuolentiæ magnitudinem intelligere concessum est,illud verò negatum vt verbis exprimere possim quantum te de illis amo, quantum me tibi deuinctum profiteor & quâ animi propensione offero me paratissi-

eius necessitudinis, quam nunc auspicamur feliciter sanciendæ ratio quæ prorsus diuturna esse non poterit nisi mutua vt voluntatum sic & officiorum conspiratione, quam de me si quid spondere possum, tibi integram præstabo quoad viuam, & si fortuna mihi non suppetat vnde paria tecum facere possim in bene merendo, non committam tamen vt me in amore & beneuolentia vllo vnquam tempore superior existas. Vale. Dabam Reate 14. Kalend. Octobris 1637.

LXII.

Joanni Beuerouicio Senatori & Medico Clarissimo, Gabriel Naudæus S. P. D.

Dordracum

PRiusquam tuas acciperem, ad doctissimum Licetum & ad me

ſcriptas, ſalutem illi tuo nomine dixeram, quam iuſſeras, & ijſdem omninò verbis tuis, quibus ita reſpondit vt ex ſuis cognoſces, nunc verò opperior reſpõſionem, quàm ad te dabit proculdubio magnificè, eaque vnà cum meis vel per Slingelandum vel opera cuiuſdam Bibliopolæ Romani, cui maxima intercedit cum Elzeuirio veſtrate negotiorum communicatio tibi vt reddatur, efficiam, ago enim cum eodem Bibliopola qui tibi forſan ex hiſtoria Belgica Flamini Stradæ cognitus erit non modò literas, ſed libros etiam viciſſim inter nos dare & accipere poſſimus, quod equidem quin conſequar impedimentum video nullum, ſi modò noſter Hermannus qui libros frequẽter ab Elzeuirio recipit non pręſenti potiùs pecunia, quam

æquali

æquali mercium commutatione cum illo agat & libros identidem ad illum transmittat,tunc enim vt ego committere illi possem quidquid hic noui creditur vt vna cum Elzeuirianis mercibus ad te perueniret,sic tu,Beuerouici, Elzeuirio tuo credere posses quęcunque velles mihi postea per Hermanum meum vt redderentur atque hoc modo cùm opera vtriusque nostrum propria, tuum & reliquorum varia quæ quotidie hîc & apud vos prodeunt vicissim commeare & transmitti possent, quod herclè maxima fieret vtriusque nostrum voluptate & commodo. Cæterùm licet hac via nondum pateat Syntagmati meo ad te aditus non despero tamen quin alia & fortè breuiori sis istud accepturus, quandoquidem

Slingelandi noſtri Amicus, qui Romæ degit, quique non omninò ineptus eſt, de quo ſpem eiuſmodi concipiam, iſtud in ſe muneris recepit omnia eiùs exemplaria ad eum tranſmittat, quod vtinam faxit tutò celeriterque, ita cupidè deſidero vt nihil ſupra, Vale Beuerouici cariſſime, & me vt cœpiſti ornare & amare perge. Dabam Reate, feſtinante nec ſatis accurato calamo, quod mei moris eſt poſtquam cum Amicis arctiorem neceſſitudinem contraxi, 10. Kalendas Septembris 1637.

LXIII.

Petro Baptiſtæ Burgo, Viro Clariſſimo, Gabriel Naudæus S. P. D.

Genuam

PEropportunè omninò excidit quod mihi varijs occupationibus

bus implicito, quæ me certis quibusdam temporibus nescio quo casu magis quàm reliquis vrgent, veniam concedis scribendi ad te sine vllo verborum aut elocutionis apparatu, sed amabo te, Suauissime Burge, quid hac licentia opus est homini inculto, rudi, barbaro qui nihil vnquam suaui coloris emisit, ac nequidem adjumenta nouit quæ ad eloquentiam ituris viam faciunt, statim ergo apud me cogitaui num hoc illicio pellicere me velles in quasdã insidias, a quibus forsan non sine pudoris mei jactura possem euadere, verùm quia istud arbitrari de tua egregia in me voluntate quæ satis mihi perspecta atque explorata est flagitium esset, quod nulla re possem nisi meo ipsius suplicio expiare amore te adiutum, potiùs

fuisse vt istud de me proferres facilè adducor vt credam; soles enim nonnunquam & mea de causa tantum ei tribuere vt ex judicij tui alioquin recti & boni solito munere non parum egrediaris, sed quacunque tandem ratione liberam a me solutamque omni cultu & morosa cogitatione dictionem requiras, profectò decretum est mihi hanc vt antea semper sic & in posterũ gnauiter prȩstare, cùm vt intelligas quo loco sit apud me significatio tuæ voluntatis, tum etiam vt culpæ, quam defugere etiam si maximè vellem, tamen nullo modo possum, minus videar obnoxius postquam tuo insuper jussu ad hanc me non modò inuitari, sed trahi quoque ostenderim, sed præter eiusmodi causas, quarum nulla non satis legitima est,

videtur

videtur etiam amicitia noſtra, quę præclaro voluntatum conſenſu, gratiſſimaque officiorum neceſſitudine confirmata eſt, non ampliùs egere verborum lenocinijs, quibus pro parario vtendum eſt, ſancire inter ſe ac conglutinare familiaritatem volentibus, ſed eum ſermonem poſtulare, qui conjunctiſſimè viuentes potiſſimum afficit & recreat, ideſt incomptum enatumque ſub acumen calami, ſiue vulgaris ille ſit, ſiue Latinus imo verò quoniam huiuſce dignitati multum deperire cenſeo quoties ad domeſtica negotia pertrahitur, quorũ tenuitas inferior ſemper eſt Romani eloquij Majeſtate & difficultas etiam plerumque major, quàm vt ex voto loqui de ſingulis facundè, elegantérque poſſimus, cum interim iſtud inqui-

natè facere, nec vtile cuipiam sit, nec honestum: Propterea hoc mihi in more positum est vt priores literas ad Amicos si præsertim illi literarum studijs dediti sint, fermè omnes Latinas faciam; quæ verò postea ad eosdem mittendæ sunt, eas aut vernacula mea, aut communi Italorum lingua in qua minori cum offensione Musarum peccare licet, mihi exarandas esse putem, & certè qui aliter faciunt, omniáque domesticæ consuetudinis arcana, omnes minutias & nugas, de quibus frequenter in Amicitia sermo est Latinè conscribere volunt, etiam si istud purè & emendatè facere possint, arbitror tamen eos minùs conuenienter, minusque ex æquo & decore facere, quia non abutendum est eo sermone, qui omnium præstan-

ſtantiſſimus habetur ad eas res ſignificandas, quæ omnium abjectiſſimæ ſunt, aut indignæ prorſus quę cum aliquo cultu & nitore proferantur; quamobrem, Suauiſſime Burge, ſi jucundè frui noſtra familiaritate volumus, eluctandum nobis eſt ex his eloquentiæ ſerpeꝛaſtris, prorumpendumq; in apertam illam & liberam facundiam quam quiſque a parentibus ſuis vnà cum lacte hauſit aut ab Italis veſtris, accipit incredibili prorſus facilitate, huius enim ſolius beneficio poſſumus de rebus obuijs & varijs loqui abſque tœdio vllo vel moleſtia. Quod verò ſub finem tuarum addebas Burdelotium noſtrum profectum fuiſſe Venetias, hoc ſanè minus nouum ac inſperatum mihi accidit, qui cum jampridem Gallias cogitare

ex

ex literis ſuis didiceram, miror potiùs cur me in ijſdem non admonuit de negotio tibi commiſſo vt imaginem meam ab amiciſſimo Buccardo recuperes, ſi quid enim de illo reſciuiſſem non equidem mora vlla per me injecta fuiſſet vtriuſque veſtrum deſiderio, licet nimisquàm in me meáque ſtudia honorificentiſſimum ſit; nam ecquis ego ſum cuius de cauſa tantum oneris ſuſcipere debeas, Clariſſime Burge, aut quem Burdelotius geſtiat habere in Muſæo depictum, niſi forſan inter tot Eruditorum tabulas, quas ſtudiosè conquirit, mei quoque vultus imago eadem prorſus ratione cerni debeat, qua apud optimum & erudiciſſimum Poëtam,

Intexti tollunt Aulæa Britanni.

Sed

Sed viderit ille quo jure mihi tantum tribuendum existimet, ego verò quia facilè eius cupiditatem intellexi, deesse illi nec possum, nec debeo, ac vellem omninò vt artifex, qui nihil fermè quod meum esset in ea expressit, affectum quo te, doctissime Burge, Burdelotiúmque nostrum complector, depingere saltem in vultu meo potuisset; non enim dubito quin tum multò magis ab vtroque vestrum diligeretur, veruntamen quia de vestra communi in me beneuolentia nullus dubito, etiam si imago mea testificatione meæ in vos voluntatis caruerit, quam a penicillo vobis non secus atque ab officio meo constare voluissem, non propterea dubito quin multùm vobis accepta esse debeat, scri-

bóque

bóque ad eruditiſſimum Buccardum vt hanc quæ diu in anguſto meo Conclaui appenſam latuit, tibi vtendam tuo modo, & quò volueris mittendam tradat, neque enim pro ea fide, qua ſemper in Burdelotium fuiſti, aliò eam deſtinabis quàm ad eum & in Galliam, quod vt quamprimùm facias, neque tui mirificè ſtudioſum ac peramantem in tuis habere velis, ne videar humanitati tuæ diffidere, pluribus verbis petere a te non debeo. Vale. Dabam Reate 30. kalendas Octobris 1637.

LXIV.

Baldo Baldi Medico Clariſſimo, Gabriel Naudæus S.P.D.

Romam

QVod mihi ſummis a te precibus flagitanti, vt diſputationem

tionem tuam in locum Hippocratis de Calculo diutiùs apud te non premeres, morem gerere voluisti; Doctissime Balde, est omnino cur me tibi non mediocriter deuictum profitear. Noui enim quantum præ tua incredibili modestia alienus sis a communi illo plausu, qui viros studijs optimarum Artium non addictos modò, sed rectè quoque de maximis illarum difficultatibus sentientes consequi vel inuitos solent. Neque præterea sum nescius quoties mihi de tua præstanti doctrina eo prorsus modo coram te disserendum fuit, quo solitus es signa eius valde illustria tum apud ægros medendo feliciter, cum & in Scholis facundè subtilitérque docendo exhibere, toties te non secus ac Eleusinia sacra his sermonibus proderentur silen-

ſilentium mihi induxiſſe, adeò nempe optimum ducis latere in te ipſo & aliquid de gloria tua remittere, vt minus etiam inuidia patiaris! Denique poſſem ego teſtimonio eſſe quàm vehemẽter ſubdubitaueris cùm de hac controuerſia ſcriberes ex cuius diſceptatione non omnes forſan in animum ſuum inducent ſolam veritatem, quæ præclaris, ſapiẽtibuſq; viris odio & amicitia antiquior eſſe debet, tibi pro ſcopo fuiſſe propoſitã. Sed ô factum bene quod plus mihi de te quàm tibi ipſi tandem aliquando credendum duxeris! præterquàm enim mihi, qui tuum ingenium amo, doctrinam laudo, ſententiáſqué omnes majorem in modum probo & admiror, nihil accidere potuit honorificientius, quàm ſi & ego intelligerem

gerem quantum mea de causa volueris, etiam cùm te ab affectu illo significando tam multa reuocare poterant, & omnes Medici fructum mihi debeant acceptum referre, quem ab asserta, illustrataque magni Hippocratis sententia percepturi sunt in posterum. Spero etiam non mediocri tibi emolumento fore quòd Commentariũ hunc Iatrophysicum, quem ego præ cæteris tuis lucubrationibus, quæ non paucæ, nec vulgares sunt, publica luce dignum iudicabam, ampliùs supprimendum non putasti: Nam cùm ea diligent a eloboratus a te fuerit, vt nec Medicinæ studium præstantius, nec rerum copia vberior, nec orationis subtilitas major desiderari a quoquam alio possit. Reliquum est modò vt postquàm in ma-

nus hominum peruenerit, ipse quoque fruaris liquidissima ea voluptate, quæ ex conscientia rectè factorum ex publicæ salutis procuratione, ex consensu & approbatione bonorum solet honestissima semper cumulatissimáque in auctores suos redũdare. Quamobrem sicut in eo fecisti quod tua cùm humanitas, tum verò morum integritas & eximia doctrina postulabant, ita ego qui me totum bonis Artibus excolendis quà opere, qua consilio, adhortationeque deuoui, cùm te & crebris sermonibus præsens & absens postea frequentibus literis ad istud consilij impulerim, meæ tandem vt persuasioni gratificari velles, nihil equidem me facere, quod ex officio, institutóque meo non esset, arbitratus sum; ac propterea

pterea nullus etiam dubito quin vtriusque nostrum optimæ, sanctissimæque voluntati talis exitus contingat, qualem & tu meritò, doctissime Balde, sperare debes & ego tibi voueo, pollicéorque futurum, quod penitùs idem est, atque se felicissimum dixerim. Vale & communibus Amicis Paulo Zachiæ, Petro Seruio ac Domino Guilletto, quorum in me beneuolentiam ex mea in ipsos fidei ac voluntatis constantia metior plurimam meo nomine salutem dicito, Reate Nonis Octobris 1637.

LXV.

Ioanni Beuerouicio Medico & Senatori Dordrecthano, Amplissimo, Consultissimoque Gabriel Naudæus S.P.D.

Dordracum

QVòd seriùs responderim tuis literis, Beuerouici Clarissime, non vlla mea occupatio, fuit in causa, quàm tua ipsius ad incomparabilem Licetum nostrum Epistola, cuius responsionem dum opperior, mora interim sanè quam vellem, longior effluxit, & obsequium in te meum, quod nulla mea voluntate retardari potuit, nescio quomodo obicem inuenit in eo ipso, quod mihi fuit a te demandatum. Quamobrem silentij istius, quo tecum diu satis vsus sum, non deprecabor veniam pluribus verbis, sed Epistolam, quę me istud vt committem impulit, ad

ad te transmittam, nonnisi quidem quàm facilè te vel etiam iratum flectere possit, siue in mei amorem, qui gnauiter exhausi mandata tua, siue in eius cultum & obseruationem, qui te in ea perbenignè amanterque omninò complectitur, atque ita de te sentit, vt de nullo alio magis honorificè; nempe is est Fortunius Licetus, omnium, quantum est hodie, qui viuant, Philosophorum maximus, & solus quod sciam, cui meritò reliquorum turba,

Submißis deberet fascibus imperium;

Nam si me tecum & loqui liberè, & signatis etiam tabulis agere permittis, neque tu, Beuerouici, quemquam habes Lugduni Batauorum, nec vllos ego Lutetiæ meę nominare possum, qui paria cum

eo facere possint, aut debeant, saltem vt nunc tempora sunt, & hominum ingenia humanioribus studijs, liguarúmque varietati ac eloquentia multò plus illic gentium addicta, quam Peripateticæ veritati. Neque si Libertus Fromondus qui Louanij docet, aut Thomas Giamixus, quem Ferraria suspicit maximâ, honestissimaque cùm eruditionis laude & peruagata Carminis commendatione eo in studio versati sunt & nunc etjam versantur felicissimè, non propterea tamen existimo viros illos præstantes grauiter aut iniquo animo laturos, si quem aliquàndo principatum in Philosophis Scholis obtinebunt, is nunc absque cuiusquam injuria ac ne inuidia quidem totus qui Liceto concedatur homini videlicet quo nemo majo-

rem

rem vnquam operam Philosophiæ studijs impendit, qui cuncta nouit, quæ in Peripato cognosci ab homine possunt, qui plura scripsit & meliora, quàm celeberrimi omnes ætatis nostræ Philosophi, licet simul componantur, & quem eo nomine amplioribus ad se stipendijs pellexerunt subinde Nobilissimæ Ciuitates Genua, Pisæ, Patauium, vnaque omnium solita cum acerrimo delectu suos Professores eligere Bononia, in quam summus ille vir non ita pridem consessit ijs conditionibus accitus, quæ præter salarij amplitudinem non minimum etiam honoris admistum habeant tum ab eminenti titulo, quem nullus vnquam nisi certissima, spectatæ, incredibilisque doctrinæ fama consequutus est ab eo qui Philosophiæ suggestum ea in

Academia postremus conscendit, nimirum Federico Pendasio, cuius locum multos annos vacuum, non potentis alicuius Amici suffragio sed quadraginta sapientissimorum virorum graui censura & æquissimo judicio occupasse, istud omninò est ad eum euehi gradum dignitatis, vnde virtus ipsa cùm se liberaliter in hominem diffuderit spectari ab omnibus tanquam ex altissima specula, lædi autem a nemine possit. Sed quorsum hæc, inquies Beuerouici doctissime; nempe vt quem Virum tua tibimet ipsi virtus amicum fecerit, intelligas, eúmque ames & colas non minùs pro communi necessitudine quæ inter vos ex meritorum vtriusque præstantia auctior in posterum futura est, quam pro Liceti ipsius fama quæ herclè tanta est,

vt

vt etiam in Amicos ſuos non exigua redundet. Sanè quantum ego ducam in bonis meis honorem quo me continuò afficere ſolet varijs de rebus ad me familiariter ſcribendo, verbis exprimere non poſſum qui careo ſatis, ad hoc pro beneficij magnitudine faciendum idoneis, ſed optimè tamen vel ex te vno cognoui quantum mihi ad gloriam Licetus contulerit, cuius exemplum in me ornando tibi ſequendum propoſuiſti; forſan quod is Beuerouicio placeret, quem Licetus, qui vir, Deus bone, & quantus! ſua non indignum familiaritate duxerat. Sed poſtquam in eiuſmodi ſermonem deueni, oro te atque obteſtor, Vir doctiſſime, vt ſi minùs amori in me tuo parcendum ducis, ſaltem pudoris, quem omninò non exigui, ratio-

nem habeas & in posterum minus mihi negotij facessas ab immodicis laudibus, quas in me velut per saturam congeris assiduè, nam etsi nihil mihi esse potest, non dicam honestius, sed gloriosius quàm a te viro omni genere virtutis excellenti, summaque in dignoscendis hominibus iudicij acrimonia prædito, nullum officij genus quod quidem ad meam siue vtilitatem siue laudem pertineat, omitti; vereor tamen vt in perpetuo quodã gratulationũ & encomiorum colludio nobis versandũ sit, si quoties liber aliquis meus ad te deferetur, idem de eo iudiciũ facere velis quod in postremis tuis de Syntagmate tulisti, in quo nescij quod olim præcipiebã de studio liberali ad Comitem Fabriciũ; nam prætetea quam nihil magis ex officij mei

ratione

ratione facere possim quàm eodem modo de tuis judicare quoties illi ad manus meas peruenient tum verò facit singularis eorundem præstantia, vt etiam si nihil me ad aliud ad hoc impelleret, debeam tamen ipsos pro meritis ornare & laudibus in cœlum efferre si possem. At vide, Beuerouici, quam tecum agam liberè, confidentérque, qui non de laudibus ipsis, quoniam prorsus sunt immodicæ, sed de solo affectu, quem in illis expressum voluisti ad me peruenire, tibi gratias habeo; atque vt de tuis lucubrationibus eo modo vicissim agam, quem & veritati Amicum & tuo etiam pudori non molestum fore confido. Quæstionem si nescis nuper a Bibliopola Romano accepi, quæ de vitæ termino fatali an mobili inter.

te & præclarissimos alios cùm Theologos, tum Philosophos & Medicos maximo vtrimque doctrinæ apparatu, incredibili argumentorum varietate & summo prorsus orationis lepore agitata sunt vt omnia sint tam in tuis, quàm in Vandeimilij & aliorum Epistolis distincta ingenij luminibus omnia vtriusque linguę flosculis ornata & sententijs creberrimè quasi gemmis & vnionibus variegata. Vnde si quis te, vel de illo tantum opere non amet medullitùs, is profectò nec elegantis doctrinæ illecebris percelli, nec vllo humanitatis sensu affici debet; ad me verò quod attinet, dicam verbo vno, sed efficaci fecisse librum hunc vt amicitia tua non minoris deinceps apud me futura sit, quàm Liceti. Vale, Beuerouici carissime,

sime, méque & in tenui mea fortuna quæ nunc est, & in maiori, de qua me tuîs votis bene sperare jubes, tui amantissimum fautorem atque adeo quantum in me erit amplificatorem dignitatis tuæ futurum existima. Reate 13. Kalendas Nouembris 1637.

LXVI.

Domino Ioanni Veslingio Equiti, & Anatomes in Gymnasio Patauino Professori præstantissimo, Gabriel Naudæus.

S. P. D.

Patauium

TE mei memorem atque amantem esse literæ tuæ ostendunt, Veslingi Doctissime, me verò tui, cùm Syntagma Militare, quod ad te perferendum, Romæ priusquá ea vrbe discederem apud Leonem Allatium reliqui, curatorem officiorum, quibus inter se

deuinciri solent homines eruditi planè mirificum, tum & salutatio, quæ tibi meo nomine, vt a Rhodio nostro exhiberetur, nunquam cessaui non contendere in omnibus quas ad illum frequenter scripsi. Quamobrem sicuti non possum prolixæ tuæ in me humanitatis & beneuolentiæ signum tam elegans non suspicere maiorem in modum, maximè qui conscius mihi sum illud aliquoties in te commisisse, vnde me non tarditatis modò, sed negligentiæ accusare, si tuo iure mecum agere velles, meritò possis, ita prorsus ex animi tui magnitudine & constantia facies; si diuturni silentij mei causas non in voluntatem meam retuleris, quæ semper in Amicos eadem est, erítque quamdiu viuam in te vnum, quem mihi præ cæteris ob eximias

eximias animi tui dotes colendum suscepi propensissima, sed potiùs existimaueris amore in te meo, atque fiducia, quam habui de tua incredibili comitate, quæ nihil ab Amici nisi quod æquè illis atque tibi commodum sit, desiderat factú fuisse; nam cùm integro biennio permolestæ, continuæque occupationes exercuerint non animo tantùm, qui vix alibi frequentiùs quàm in castris & tyronum Basilicis per totum fermè tempus illud versatus est, sed corpore etiam quod me Aulicis muneribus accommodare ex officio & munere meo oportuit; ad te verò quod scriberem nihil aliud in promptu esset præter actionem gratiarum, quas ob præclarum & amicitiæ nostræ summopere consentiens judicium, quod de postrema Que-

ſtione mea Iatrophilologica tuleras, & tunc quoque ſenſi, & nunc etiam profiteor lubentiſſimè non mediocres tibi a me deberi. His de cauſis quamquam præter morem, inſtitutúmque meum, quo literis ſaltem colere abſentes Amicos conſueui, jucundiſſimam mihi conſuetudinem intermittere, & in officij curſu languere ſum coactus. Enimverò cùm liber a negotijs magis quam antea fuerim, nunc eſſem, & reuocare me ad officium meum erga veteres Amicos, præſertimque aliquid ad te literarũ dare cogitarem, ecce opprimunt me tuæ, quas ſi multis nominibus gratiſſimas mihi fuiſſe dixerim, non quidem mentiar; ſignificas enim in ipſis perſpectam tibi atque exploratam penitùs fuiſſe meam in te obſeruantiam, quâ profe-

profectò libera confessione nihil a te honestius proficisci, aut jucundius audiri a me poterat. Licentiam præterea mihi facis non ex artis, sed naturę meæ modo, quem alius forsan teipso morosior adeo facilè & Spartana quasi nobilitate concoqueret, diuagandi extra pręscriptos a Demetrio Epistolarum fines, & animum meum explendi loquacissima tecum, eademq; gratissima confabulatione. Addis insuper te exemplo meo compulsum statuisse monumenta quædam ingenij tui in apertum proferre, quod sterile vnum est ad quod soleo ego creberrimis sermonibus & Epistolis Amicos meos omnes adhortari, quoniam mihi non modò turpe, sed etiam flagitio atque jacturæ proximum videtur, cessare eo in studio, cuius præmium longè

maximum est nominis sui memoriam reddere immortalem. Denique occasionem mihi præbes ostendendæ industriæ & voluntatis erga te meæ, qua nullam recordor accidisse mihi in omni vita jucundiorem. Videris siquidem de singulari illo affectu, quo Amicorum meorum negotia procurare soleo, tam confidenter sentire vt etiam si in hac Ciuitate Reatina procul a Musis & eorum consortio qui vel à limine Porticum aut Academiam salutarint, vitam degam, tantùm non insuauem & molestam; non dubitaueris tamen istud oneris mihi committere vt Textum Auicennæ ex Arcabicis eius Codicibus, quos si Venetiæ & Patauium non habent, Reate scilicet habebit; tibi in celeberrimis illis Ciuitatibus aut potiùs libro-

rum

ſum emporijs & doctiſſimorum hominum frequentia viuenti exſcribendum curarem. Neque tu, Veſlingi Clariſſime, falſus opinione tua fuiſti, quandoquidem & tua honeſtiſſima, ſummæque fiduciæ plena poſtulatio, & ardens illud ſtudium, quod in me ſemper fuit, præclaros Amicorum conatus omni ope & induſtria ſubleuandi, in cauſa tandem fuerunt vt Codices Principis illius Medicorum illic vbi a Principibus viris cuſtodiebantur, inuenerim, & eiuſmodi linguæ non vulgaris bene peritos homines impulerim, vt ſchedam quam ad te mitto non rudibus lineis, aut infida, mendoſaque dictione exararent. Tu modò vtere illa feliciter ad Diatriben tuam Anatomicam de Aurium vſu quem diuitijs vt video, a te in

Oriente comparatis ornandam suscepisti, & cum hac, tum verò obseruationibus in librum Alpini de Plantis Ægyptiorum profer extra communes terminos Medicinæ latifundia, ac omnium vtilitatem auge, quæ nunquam erit ab excellentis tuæ doctrinæ, & amplissima nominis commendatione separata. Ego verò qui fructum ingentem quotidie percipio ex recordatione suauissimorum sermonum, quos Patauij tecum habebam, & ex morum tuorum elegantia quæ mihi adhuc summa cum delectatione ante oculos obuersatur, non possum etiam non meminisse quantum tibi debeo, & quàm æquum est me virtuti & gloriæ tuæ fauere quam plurimùm. Itaque si qua in re alia obsequium, quod tibi deuoui, præstare possim

& si.

& si quæ in posterum studia vel officia mea ad tuæ laudis aut commodi partem aliquam spectare intelliges, tuum erit quænam illa sint, facere me certiorem. Dabo enim actutùm operam vt ex diligentia & fide mea in illis, quantum mea situm erit in potestate euoluendis, manifestè cognoscas me in Amicorum numero neminem habere, quem virtutis nomine plus colam atque amen quàm te ipsum. Vale, scribebam Reate pridie Nonas Decembris 1637.

LXVII.

Ioanni Rhodio Philosopho & Medico Eruditissimo, Gabriel Naudæus S. P. D.

Patauium

BInæ tuæ posteriores commodùm mihi hesterna die redditæ sunt cùm angebar adhuc ani-

mo & malè precabar Tabellariorum nationi, quorum culpâ factum putabam vt primo folio Obseruationum exoticarum Doctissimi nostri Veslingij, quod te jamdudum ad me transmisisse, cùm in his vltimis, tum & in prioribus literis tuis significas, carendum mihi hactenus fuerit; sed moerorem illum abundè detersisti quinque foliorum consequentium transmissione, de quibus siue diligentiæ tuæ ratio habenda sit, siue oblectationis illius, quam ex eorum lectione incredibilem percepi, est omninò quod vobis ambobus plurimum me debere profitear. Tibi, inquam, Eruditissime Rhodi, quoniam ita semper affectus in me fuisti vt amantiorem mei, quàm tu ipse sis habere sanè possim neminem; Clarissimo autem Equiti

Veslin-

Veslingio, quia etsi illum amabam antea non vulgariter, gaudebámque majorem in modum, mihi per te conciliatorem aditum olim patuisse ad eius Viri amicitiam, qui famâ peregrinationum, artis Medicæ, linguarumque cognitione & honoribus tam in Oriente quàm Patauij, atque alibi gentium in se collatis, omnium esset in ore celeberrimus; fatebor tamen constanter & liberè plus accessionis factum mihi fuisse ad illum amandum, & officijs omnibus persequendum, statim atque obseruationes eius in libros Alpini de Plantis Ægyptiorum beneficio tuo tuo perlegi, quam his dotibus enumeratis licet raræ & præcellentes sint, factum antea fuisset; quis enim sermonem adeò venustum, elegantem, castigatum, ar-

gutum, grauem, etiam quoties opus eſt & ingenij doctrinæque luminibus creberrimè diſtinctum, qualis eſt ad linguam quo Veſlingius noſter in his Obſeruationibus vſus eſt, non miretur, ac ſuſpiciat profectò dicam tibi libenter, optime Rhodi, & eo confidentiùs dicam quod tumet ipſe veneres, deliciaſque amabiles operis eiuſmodi meliùs dignoſcere quàm quiſquam alius potes, me illius ornatu pulcerrimo, & in Medicorum ſcholis nouo inſolentique ita affectum fuiſſe, vt in quo plus repoſitum ſit præſidij, quàm in vno Veſlingio, ad mutas noſtras artes per eloquentiæ & reconditarum rerum ac linguarum ſtudia exornandas hoc tempore agnoſcam prorſus nullum. Quamobrem viri illius nati facti quo ad rectè ſcribendum

bendum, efflorescentis ad eloquentiam & rara ingenij indole summa omnia de se pollicentis virtutem osculor ex animo, gratulórque illi laborem tam eximium, tam comptum, plenissimúmque tot voluptatum, & illecebrarum, quibus sic equidem mihi videtur reliquis suis laboribus prælusisse vt nihil tam horridum sit & incultum, quod expolire puriori facundia nihil adeò latens & obscurum quod labore a solerti diligentia eruere ac in apertum proferre non possit. Vtinam igitur fructus alios suæ peregrinationis, suorúmque studiorum diutiùs apud se non premat, sed absoluta plantarum exoticarum dignotione, quem vt nobis ornatiorem & elaboratiorem daret, video illum non jam ad Alpini, sed ad Melchioris illius Guil-

tas hominem quiescere, cuius vigilijs & sudoribus Medicina non modò auctior, sed cultior quoque reddi potest, quæ duæ res sunt omnino ad eius perfectionem atque absolutionem necessariæ. Cæterùm vt gratitudini tuæ, quam singulis diebus magis in me propensam experior cuiusdam muneris oblatione quod non omni a tuis diuersum sit, debitas vires rependam, cùm mihi primùm alicuius Amici copia erit, qui Roma Patauium contendat, tradam illi duo exemplaria eius dissertationis, quam Baldus Baldius compositæ mentis & solidæ doctrinæ Medicus nuper edidit in Textum illum libri de aëre, locis & aquis, qui præstantissimos Medicos non mediocriter exercuit, variáque & incerta prorsus in huius membri le-

ctione dum in his χολωδέςατον in alijs verò θολωδέςατον reperitur; nempe vnum ex illis meo nomine offerres Clarissimo Veslingio, cuius mandatum de integro capite, quod aurium descriptionem continet, & Arabicis Auicennæ codicibus exscribendo, jampridem exhausi; alterum verò tibi seruabis in eorum, quæ sæpiùs ad me transmisti, hostimentum. Vale & doctissimo Patri Philippo Thomasino quem libris suis, tibique redditum gratulor etiam commenda me verbis quàm fieri poterit amplissimis. Reate 6. Kalendas Ianuarias 1638.

LXVIII.

LXVIII.

Francisco Perla Medico Clarissimo, Gabriel Naudæus S.P.D.

Romam

QVali, tu Francisce Perla, & quàm mirifica sis in Amicos, virosque alios præclarè de te suis officijs meritos beneuolentia mihi sanè dubium esse non potest, qui nulla tibi necessitudine deuinctus fructum tamen ex ea percipio, quo si me dudum in tuis haberes, nullum vberiorem optare, honestioremve possem. Neque vnquam existimaui inter officia quibus se mutuò deuincire solent, optimarum artium studiosi homines aliud vllum tam gratum ipsis, acceptúmque fore vt cum eo conferri merito debeat, quod ex propriorum operum munere, gratissimaque inter ipsos vicissitudine

declaratur; & herclè bonorum, quæ extra nos sunt, æstimatio tam vulgaris est, quam ipsa parari facilè ab omnibus casu, aut humili aliqua arte & sordida possunt, sed sed quæ præclaras animi virtutes præ se ferunt, quæ a continuis studiorum laboribus proficiscuntur; ex quibus quantum quisque judicio, doctrina, perspicacite valeat, statim dignoscitur. Horum equidem pretium eiusmodi est vt neque certum statui possit, neque gratiarum quantumuis amplissimarũ actione compensari. Quamobrem vides, Doctissime Perla, quas in angustias me conjeceris dum mihi per vtriusque nostrum amantissimum Baldum Baldium comentarios tuos in Hippocratis librũ de locis in homine reddendos curasti, nam & illi qui non

minùs

minùs tibi ex animo fauet, quàm mihi conjunctissimus est plurimum vel eo nomine me deuinctum profiteor quod putauit non satis se ex officio diligentis pararij facturum nisi me, quem apud te commendabat, ornaret etiam ijs dotibus, quæ tua me dignum amicitia redderent, vt tibi cum hominum humanissimo, cultissimóque primùm quod tam honorificè de me sentias, deinde quòd hunc animi tui affectum munere cum ornatissimo significandum mihi duxeris; tandem verò quod tu me prior ad jungendã inter nos amicitiam prouocaueris tantum equidem debeo vt par pari referre, vel si omnia tua causa præstem non videar. Atque hoc eo lubentiùs dico ne tu Clarissime Perla, cùm Syntagma meũm de studio Mili-

tari accipies, quicquam arbitreris præstari a me hoc hostimento posse quod propius gratiarum actioni pro simili a te munere accepto, quàm testandæ meæ in te obseruantiæ, quæ vt singularis antea fuit, cum mihi non tam ex facie quàm Baldi nostri prædicatione notus esses, ita deinceps quoniam vrbanitate tua pellectus sentio quoque illam in se habere plurimum ingenij, doctrinæ, eloquentiæ, quibus homines ad tui cultum & amorem nullo negotio conuertis. Dabo profectò operam quantum enixè potero vt hæc eadem perpetua futura sit, & verò si aliter facerem non ingratus modò atque immemor tanti beneficij, quo me nuper prosecutus es, sed parùm æquus esse tuis egregijs meritis viderer quorum certè splendor

ſplendor in Commentarijs tuis tantus elucet vt qui te ab eorum lectione prolixius non amet, putem eſſe nullum; eſt enim ſcribendi genus illud tuum æquale & nitidum facile quin etiam ſubactum velut exercitatione multa, ſparſumque optima fruge Medicorum Principum, quam in tuum non modò ſed Hippocratis ſenſum tam acutè ſolerterque conuertiſti vt ex nobili iſto opere tuo perſpici ſanè difficulter poſſit, qurntum abundes ingenio, quanti homo ſis ſtudij, quanta tibi & quàm in numerato rerum Medicarum ſit copia, quibus denique præſidijs artem omnium præclariſſimam fulcire, atque ornatiorem reddere poſſis, ſi tam pronus es in eius commoda, quàm honeſtum tibi erit laudabiles tuos conatus nun-

quam aliò conuertere. Quod equidem vt facias puto te inflammatum iri non mediocriter Baldi nostri Medici consultissimi exemplo, qui & ipse præclaram quotidie nauat operam in proferendis Medicinæ finibus, atque vt est totus in illis, & ingenio factus est a natura non minùs sedulo, quàm perspicaci, ita sanè non committet vt in eo quod ipsi facere decorum est, diligentia sua requiratur; ego verò qui bonorum omnium excitare industriam pro more habeo, vestram amborum, quæ subinde mihi lætitiam incredibilem attulit, ita complector vt nihil maius voueam maximo Medicorum ac Naturæ peritissimo Hippocrati & ob innumera beneficia, quæ sua incomparabili doctrina hominum generi peperit, quàm vt

vos,

vos Medicinę proceres in eiusdem illustrandæ proposito velitis constanter permanere, sic enim vobis & Hippocrati consultum satis erit ad laudem, mihi verò ad felicitatem etiam abundè, cui nihil vnquam carius aut antiquius esse potest quàm & amicitia vestra perfrui diutissimè & eiusmodi librorum vestrorum muneribus creberrimis donari. Quod desiderium meum rogo te, eruditissime Perla vt Baldo nostro, cum tibi commodum erit, significes, atque ad me existimes non secus ac de eo, qui amore in te, & officijs omnibus, quæ amori debentur, concedet nemini. Vale, Reate pridie Nonas Ianuarias 1638.

LXIX.

Francisco Slingelando Viro Clarissimo, Gabriel Naudaus S.P.D.

Dordracum

SYnopsim emaculatæ historiæ Concilij Tridentini, quam a me postulas huius amici tui sarcinulis adjungi, qui propediem Roma discessurus est, satius esse duxi Tabellariorum operâ ad te transmittere, quoniam neque liber hic tam prægrandi mole est, vt absque illorum incommodo fieri non possit etiam in vltimas oras, ad quas parum abfuit quin multorum calculis relegaretur, nec Amicus ille tam facilè se ab negotijs suis expediet, vt cùm biennium sit & eo jam amplius, quod eius discessum opperiris, non aliud item bienniũ tibi expectandum sit; priusquàm ab eo quidquam rerum tuarum accipias.

accipias. Tu viciſſim quandoquidem libros nouos non potes, ſaltem eorum titulos & lemmata tranſmitte, ac niſi forſan tibi graue ſit, partem illam Epiſtolæ Vendelini, quæ de Michaloro eſt, ſene optimo, doctiſſimóque & tui iuxta ac mei amantiſſimo. Cæterùm quod de Beuerouicio noſtro ſubjungis adeò non me commouit, vt etiam laudarim impensè humaniniſſimi viri modeſtiam, dum apud te tanquam defraudati creditoris reum ſe ſiſtit, & de ſponſione mihi facta alteri verò ſoluta purgat ſe eo ſermone, quem non eſt pudoris, aut amoris mei in Beuerouicium, libenter audire. Quamobrem amabo te Slingelande, certiorem illum facias tantum præſidij mihi eſſe in eius amicitia repoſitum, vt etiam ſi poſthac, nec li-

teras, nec aliud suæ in me beneuolentiæ signum ederet, futurum tamen sit eo semper apud me in loco, quo sui similes & præclarè de literis meriti homines omnes esse solent, cuius rei puto testes apud illum fore binas meas posteriores Epistolas, quas si justo tardiùs acceperit, casum profectò accusare debet, & itinerum in tanta locorum differentia, ac temporum hominunque malitia difficultates, non animum meum, qui nullius literis non respondere quantumuis occupatus soleo, quique Beuerouicium tanquam virum in paucis probitate atque doctrina singulari prę́stantem, mihi amandum omnique studio & obsequio colendum proposui. Vale, Dabam Reate 6. Nonas Martias 1638.

LXX.

Ioanni Veslingio, Medico Clarissimo, Gabriel Naudæus S.P.D.

Patauium

POstquam Liber tuus de Plantis Ægyptiorum mihi redditus est, Veslingi Doctissime, tam intellexi fore ex officio meo vt gratias tibi haberem de singulari illa grati in me animi tui significatione, quam molestissimis occupationibus implicatus, quæ mihi quotidie in tabulario maioris Templi Reatini ab imminenti pernicie vindicando exorbendæ fuerunt, non potui pro eo certè ac debuissem illo munere defungi, cuius mihi non tantummodò liberalitate tua occasionem, sed literarum etiam incredibili comitate & eloquentia necessitatem imposuisti. Et herclè nisi tanta conjunctio,

quantam tu mihi tecum esse voluisti tarditatis meæ culpam eleuaret, dum tu nihil in rebus tuis honestum ducis, quod non item sit cum Amicorum commodis & veritate conjunctum, purgarem me priùs ab offensa, demúmque effunderem in candidissimum pectus tuum quidquid laudis & gloriæ tibi merito tribuendum est ob confectum tanta felicitate diuitis & exculti ingenij tui lepidum hunc & elegantem libellum, cuius me participem esse voluisti. Sed cùm humanitas tua, quæ summa est, & conscientia mea nullius apud te delicti conscia in causa sint veniã vt a te nullam cunctationis meæ deprecer, tum verò faciunt ea quę dudum ex inspectis prioribus aliquot libri tui folijs de eo ad Clarissimum Rhodium scripseram, vt
parciùs

parciùs omninò mihi nunc in tuorum meritorum commemoratione versandum sit, ne vel assentatione quadam magnitudinem eorum corrumpere videar, vel quantum eiusmodi fuco commendationis alienæ non indiges parum intelligere. Dicam tamen quod in illa ad Rhodium nostrum Epistola dictum a me non memini & quod sine maximo flagitio reticere non possem, librum tuum scilicet adeò mentes eruditorum omnium perfudisse his voluptatibus & illecebris, quibus ad miraculum vsque refertus est, vt qui tantum studebas in lectissima Medicorum parte censeri & Æsculapio non mica sordida vel arreptitia gleba, qui reliquorum mos est, sed pulcerrimis & suaueolentibus Herbis cultum ac religionem tuam probare.

quantam tu mihi tecum esse voluisti tarditatis meæ culpam eleuaret, dum tu nihil in rebus tuis honestum ducis, quod non item sit cum Amicorum commodis & veritate conjunctum, purgarem me priùs ab offensa, demúmque effunderem in candidissimum pectus tuum quidquid laudis & gloriæ tibi merito tribuendum est ob confectum tanta felicitate diuitis & exculti ingenij tui lepidum hunc & elegantem libellum, cuius me participem esse voluisti. Sed cùm humanitas tua, quæ summa est, & conscientia mea nullius apud te delicti conscia in causa sint veniã vt a te nullam cunctationis meæ deprecer, tum verò faciunt ea quę dudum ex inspectis prioribus aliquot libri tui folijs de eo ad Clarissimum Rhodium scripseram, vt
parciùs

parciùs omninò mihi nunc in tuorum meritorum commemoratione versandum sit, ne vel assentatione quadam magnitudinem eorum corrumpere videar, vel quantum eiusmodi fuco commendationis alienæ non indiges parum intelligere. Dicam tamen quod in illa ad Rhodium nostrum Epistola dictum a me non memini & quod sine maximo flagitio reticere non possem, librum tuum scilicet adeò mentes eruditorum omnium perfudisse his voluptatibus & illecebris, quibus ad miraculum vsque refertus est, vt qui tantum studebas in lectissima Medicorum parte censeri & Æsculapio non mica sordida vel arreptitia gleba, qui reliquorum mos est, sed pulcerrimis & suaueolentibus Herbis cũltum ac religionem tuam probare.

Dignus pręterea habitus sis in quo vicissim & Æsculapius & diuæ illę præsides Literarum magnum sibi decus repositum esse cognoscant, non modò tu quo pede Cursum a Medicinæ carceribus cœpisti, ita pergas inoffensè per reliquas Artes, quæ libero homine dignę sunt & Philosophiam, Linguas, Antiquitatem, ac Orbem insuper disciplinarum omnium, in quibus te non perperam hactenus desudasse Obseruationes illæ tuę satis superque ostendunt, pari cum facultate conatu excolere pergas. Atque ne mihi propter amorem in te meum, qui profectò singularis est quantum habeat fidei, quantum fortè satis sit vt adhortatione mea ad vlterius benemerẽdum de studijs communibus quasi stimulo quodam concitari valeas, sanè

possem

possem literas ad te mittere testes amplissimę commẽdationis, quam Nobilissimus Eques Cassianus a Puteo, vir non modò famâ suarum virtutum Orbi notus, sed disciplinis etiam ita excellens vt cùm disertè loqui, tum & prudenter sentire de rebus omnibus possit, ex pellectis tuis primitijs tam luculenter tulit, nihil vt magis afferat quàm te & verborum elegantia, & delectu rerum, & selectioris doctrinæ copia, dignitateque ac nitore totius scriptionis, nemini, qui vnquam simili in materia versatus sit, concedere. Quamobrem Veslingi suauissime, parum è re tua facere mihi videris dum nactus prę-clarum illum sententiæ in eruditorum Senatu ferendæ principem qui laboribus tuis impendio fauet Aristarchum, me vt Catouianum

— Sic acceptissima semper
Munera sunt, Auctor quæ pretiosa facit.

Deinde vero ita mihi videris confidenter viam illam ingressus, quæ recta ad immortalitatem ducit, vt nihil æquè copiam quam te in ea pergere alacriter, & quantum in te situm est bonorum omnium studia præclaris tuis & immortalibus inuentis adiungere; quemadmodum sanè fecisti jam his laboribus tuis adeò feliciter, vt cum docti homines plurimum illis faueant, aduersetur tamen nemo, quod equidem argumentum est cumulatę virtutis & glorię certissimum. Tandem verò ne tu qui me creberrimis officijs deuincire soles, pudori meo negotium facias si osequij in te mei ac obseruantiæ vices tamdiu apud me premam,

LXXI.

Hippolito Vecchianello, Patritio Reatino, Gabriel Naudaus S.P.D.

Reatem

PVtarem ego, Hippolite Vecchiauelle, non ſatis ex officio erga te meo feciſſe ſi Ludouici Canalis elogium, hominis inter Reatinos tuos fama cõſpicui nunquam interrimoritura, tibi qui in eorundem quoque lectiſſima parte cenſendus es, abſque literis meis tranſmitterem. Etenim pręterquam neglectæ dignitatis tuæ poſtulari merito viderer, & quis omnium in te cultus eſſe ſolet, parum intelligere; tum verò queri de me non iniuria poſſes, & in homine humaniorum Artium ſtudioſo vitæ morumque humanitatem deſiderare. Nam ſi quis eſt hodie qui præclarum induſtriæ ſuæ fructum ab homine ſibi propemodum

ignoto tulerit; si quis bono alicui & sapienti viro nedum inspectus placuit, & rarum inusitatæ prorsus beneuolentiæ testimonium ab eo consecutus est. Talem certè me vnum esse profiteor, quem tu non modò peramanter complexus es, appellentem illuc vbi absque te viro doctissimo & libris atque officiis tuis fuisset, non potuissem satis jucundè & ex voto meo vitam traducere; sed insuper adeò te liberalem & munificum erga me præbuisti vt quoties muneris illius, quo me post Syntagmatis mei lectionem prosecutus es, venit mihi in mentem toties profectò miraculum tui apud me faciat nobilis illa indoles prouectę jam & inclinantis ætatis tuæ, qua tantum abest vt aliquid de pristina studiorum contentione remittas,

mittas, quod etiam morum in te desiderium crescat in dies, amesque singulos, qui aliquid in literis conantur, atque illis fautor sis pręcipuus rumoris secundi. Quæ facinora si quis tanti non faciat, quanti reipsa fieri ab omnibus debent, næ profectò hic satis intelligere videtur quàm pauci hac tempestate præclaras artes, literalesque studio ac patrocinio suo tuendas suscipiant, quàm pauci infra ingenium diuitias habent, aut certè tam generosi sint, quàm fortunati. Ego verò cùm istud abundè cognoscam bene precari soleo doctrinæ tuæ singulari, fortunisque amplissimis, quarum præclara consensione factum est, vt in quibus stricturas quasdam bonæ mentis deprehendis, vos statim beneficentia tuos facias, & sanè

vt in iſtius Epiſtolæ anguſtijs de me ipſo tantum loquar, ita me cœpiſti præclara illa ſignificatione tuæ in me volũtatis, qua herclè neſcio quomodo honeſtior ex cogitari a quoquam alio potuiſſet, vt dictu ſit incredibile quantum de illa te amem & quam mirificè cupiam tibi acerrimo eiuſmodi rerum cenſori non diſplicere quæcunque in poſterum ſtudijs meis expolienda ſuſcipiam : Nam de hoc præſenti elogio certum eſt mihi bene ſperare cùm affinis tui memoriæ dicatum ſit, & Canalium famila tam coniunctè cum tua viuat vt nihil ipſorum ſit, quod etiam Vecchiauelli ſuum, tam ſanguinis quàm officiorum neceſſitate reputare non debeant. Vale Vir Clariſſime, méque & Antonium noſtrum a Turre virum optimum

timium, quem tui Reatini mihi nec certè inuito fratrem esse volunt, fouere vt cœpisti non desinas. Romæ 8. Kalendas Iunias 1638.

LXXI.

Viro Maximo & Celeberrimo, Fortunio Liceto, Gabriel Naudæus S. P. D.

Patauium

POstremis ad te meis, Fortuni Licete, Philosophorum præstantissime, comites esse volui paginas quasdam Operis illius *de natura luminis*, quod Bullialdus, homo, vt Moræus noster, & Puteani fratres significant præclarè in Mathematicis & Philosophia versatus non ita pridem Lutetiæ typis demandauit. Nunc autem venit ad te Salustius nouus scilicet hospes è Stoicorum Portica in Latinum receptus operâ Leonis Al-

latij & meâ, quorum etiam consilio factum est vt is te audire debeat, non eius tantùm officij de causa quod omnes quicumque sunt in Europa doctrinis melioribus exculti, tibi qui gloriam ipsorum auctiorem in dies facis præclaris tuis lucubratioribus, exhibere debent, aut nostro amborum priuato nomine, qui ob summos honores, quos nobis habere non vno loco voluisti tantum nos prolixæ tuæ humanitati debere fatemur, quantum persoluere omnino difficile est. Verùm cùm ea sis auctoritate præditus vt non modò rebus tuis patrocinari facillimè possis, sed alienis quoque si præsertim tibi non displicent laudis alicuius & dignitatis opinionem conciliare: Profectò hanc ob rem factum est vt Salustium Philosophum

phum, de quo me tam ſæpe prædicantem audiueras cognoſci nunc a te & amplecti quàm fieri poteſt humaniſſime voluerim. Et certè ne quid tecum diſſimulem, maiorem etiam in modum cupio iudicium de eo tuum accipere; quandoquidem ſi doctrinæ illius faues, non proletariæ, mea quidem & multorum ſententia qui Romæ non poſtremi in eruditorum cenſu numerantur, ſpero magnam inde commendationis acceſſionem fieri poſſe Saluſtio cúmque teſtimonio & approbatione tua munitum longè acceptiorem ijs omnibus fore qui tanta ſis eruditione & ingenij ſagacitate præditus, non ignorant, quique ab effatis tuis haud ſecus quàm a Prætoris edicto pendent, a quo ſcilicet nulli aut honeſtum

sit, aut tutum prouocare. Sanè mecum egerunt diligentissimè Amici mei quàm plures, ijdémque tui & virtutis ac doctrinæ tuæ bene conscij vt præter judicium illud de Salustio, notas insuper & explicationes in illum tuas si fieri posset elicerem; neque me præter rem aut decorum quicquam facturum censebant si istud a te contenderem, quod mediocri tuo labore, non mediocrem tamen ipsi Salustio auctoritatem, nobisque omnibus vtilitatem procul dubio insignem afferre posset. Quid enim dicebant, labori afferet homini demerendo posteritati nato, imbutóque Græcarum Literarum scientia, & ad miraculum vsque versato in omnibus Philosophorum Scholis, post explicatam abundè tot in libris & lectionibus Aristo-

Aristotelicam doctrinam, Salustianæ nunc quæ de rebus præstantissimis est, aut si mauis Platonicorum simul & Stoicorum Philosophię lucis aliquid & ornamenti ex sua luce propria fœnerari? Possetne Salustius cui priscorum Theologia quam explicat, & vita quæ innocentissimè ab eo traducta est, & lingua tempusque ac celeberrimorum hominum testimonia meritum famulantur ad laudem, ab alio quoquam dignius explicari, quam ab eo, qui veteris Philosophiæ gloriam nobis ita refert hoc tempore vt priscos illius auctores quorum habentur in honore scripta partim exæquet, partim etiam vincat & omnia cum illis & Salustio præter ætatem habet communia? Ecquis præterea celeberrimi Liceti in scribendo fa-

cilitatem non agnoſcit, aut in explicandis Naturæ, ſcientiarumque arcanis felicitatem longo iam ſtudiorum vſu ita confirmatam ad docendum, non modò vt emineat in Philoſophia, ſed quacunque de re propoſita vt ſubtiliſſimè diſputet & Saluſtium propterea commentationibus eruditiſſimis illuſtrare tam facilè poſſit, quâm ipſe de rebus a communi hominum cognitione remotis & oppidò maximis ſolertiſſimè diſſerere, nullóque non remoto aut complanato obice ſolitus eſt. Denique cùm è veteribus Philoſophis nullus tam exiguo, breuique libello circumſcriptus ad Literatorum notitiam peruenerit, quin præclarum aliquem ex illis & memorabilem virum nactus ſit Cogitationum ſuarum explanatorem, & Carmina illa

illa Pythagoræ, quæ aurea vulgò dicuntur, commendationis non parum acceperint ab Hierocle, quemadmodum etiam Ocellus Lucanus a Nogarola, libellus de Mundo ad Alexandrum a Ioanne Langio, Epicteti Enchridion ab Arriano & Simplicio, eiuſdemque Reſponſa a Corraſio, Cebetis Tabula a Velſio & Maſcardo, Alcinoiis denique a Carpentario. Mirum herclè videri poſſet ſi Saluſtius, qui tam exquiſitè de Dijs & Mundo philoſophatus eſt, vt ipſorum qui ſuprà commemorati ſunt, nulli doctrina, judicio & eloquentia concedat, non ab eo quoque lumen aliquod & ornamentum ſuſciperet, qui reliquos eiuſmodi Interpretes longo præuertere interuallo, & gloriam eam ac dignitatem literarum augere

non mediocriter ex eo labore possit. Nempe his rationibus aggrediuntur me & tantum non expugnant ex Amicis nostris communibus quàmplurimi vt quod a te factum iri summopere vellent, eius me suasorem faciant apud te, quem mea de causa non has tantùm commentationes, quæ tibi pro ludo sunt, sed grauiora multò facturum non dubitant maximè cum exploratum habeant, qua semper in amicos & quàm propensa voluntate fueris, adeóque constanter fouerè pergis quos semel in arctissimo tuæ familiaritatis consortium admisisti. Verùm quo tu, Vir Clarissime, liberalior es, & amantior mei, eo me majori studio cauere oportet ne potiorem aliorum commodi quàm studiorum, aut virium etiam tuarum rationem

nem habuiſſe videar, etenim vt te iiſdem verbis, quibus Auguſtum Horatius, compellam,

Cùm tot ſuſtineas & tanta negotia ſolus,

Et hinc auditorum tuorum ſtudijs publicè legendo inſeruias, illinc Amicorum Epiſtolis, quę nunquam de rebus grauiſſimis non ſunt, diligenter reſpondeas, ex vna etiam parte abſolutos de pietate Ariſtotelis, de Hydrologia Peripatetica, de natura Luminis Commentarios velut arida pumice modo polis & exornas, ex alia verò nouos inchoras de lapide Bononienſi, qui lucem in ſe recipit & aliquandiu continet, de Quæſtionibus Peripateticis, de mirabilium Euentuum cauſis, totúſque inſuper verſaris in propoſitionibus Bullialdi de Lumine, quemadmo-

dum nuper ad me ſcribebas, explorandis, his, inquam, de cauſis. nunquid ipſe in publica & priuata tua commoda peccarem ſi nouo aliquo argumento tibi ad me ditandum propoſito. iniquæ Iunonis inſtar non modò tua tempora morarer, ſed ſtudia & animum tuum adeò varias in partes diſtractum fatigarem; quamobrem non vrgeo ego Amicorum poſtulationes quæ tibi moleſtæ ſint, ſed hoc tantum enixè a te contendo vt cùm animi a grauioribus curis laxandi causâ in Saluſtium noſtrum reſpicies, quædam in eum ſtrictim animaduertas, quibus ornatior exire denuò poſſit in publicum; noui enim quàm multa tibi ſub acumen calami veniunt, in quibus præferendis plus herclè ſatis reliquorum omnium deſudaret induſtria

&

& nihilominus tamen istis me & Salustium beare potes, cùm vtriq; nostrum satis sit judicium tuum qualecunque tandem illud fuerit, & nullo magis sit nobis honorificum promeruisse. Vale, vir Clarissime, & eruditissimum Collegam tuum Ioannem Argolum, cui propter temporis angustias non scribo, Aulicósque supra morem Aulæ, singulari judicio præstantes multúmque literis humanioribus excultos Vincentium Nogheram & Donatum Lintellum, verbis quàm fieri potest humanissimis atque amicitia & obsequio meo dignis saluta. Dabam Reate 6. Kalendas Decembris. 1638.

LXXIII.

Clarissimo Viro, Scipioni Claramontio, Gabriel Naudæus S. P. D.

Pisas

CVm maxima & prorſus incredibilis doctrina tua, Scipio Claramonti, tam præclaro jam & illuſtri apud omnes in loco poſita ſit, vt famæ quam meretur ſecura omneſque reflantis inuidiæ ventos prætergreſſa in æternitatis ſudo cõquieſcat; poſſem equidem nullo nominis & gloriæ tuæ periculo temperare a præſenti ſcriptione calamum meum, & laudibus tuis eloquenti ſilentio fauere potiuſquàm earum immenſitatem orationis meæ culpa deterere; verùm quia non minor officij mei quàm dignitatis tuæ cura mihi habenda eſt, permitte, quæſo vt in hac occaſione percommoda mittendi

tendi ad te Salustium Philosophum & respondendi tribus aut quatuor Epistolis quas ad me de tuis occupationibus peramanter scripsisti, non illas voces apud me comprimam, quas etsi maiorem in modum tuo pudori molestas fore nullus dubito, non possum tamen præ virtutum tuarum admiratione, etiam si maximè velim, diutiùs retinere. Ecquis enim non miretur te in illa prouecta & ingrauescente ætate constitutum, ad quam si quis alius peculiari naturæ indulgentia peruenerit, tum demum conquiescere solet, veluti redintegratis vocibus alacriorem reddi ad nouos & te vno maximè dignos labores, quorum ego numerum & difficultatem cùm ex te audio, non possum sanè non grauiter Plauto & Turpilio Co-

beat. Nam quid aliud loquuntur non ſedula modò opera, quam quotidie nauas in expoliendis, recognoſcendiſque lucubrationibus illis quas toto anteactæ vitæ tuæ decurſu typorum beneficio publicas omnibus feciſtis ſed meditationes aſſiduæ, quib. incœptos de de Morali philoſophia, de rerũ naturalium cauſis, de morborum dignotione & remediis, de Mathematicis corporibus, de Sphæris & obſeruationibus nouis ſermones abſoluis; tandémque pertinax illa & indomita docendi voluntas, quæ te incenſum, inflamatúmque ſciẽtiarum amore ſenſim impellit, vt prouocatus cum illis in certamen deſcendas, qui te eam in arenam vocare non dubitant, in qua robuſtiſſimos jam Athletas ſuſtinuiſti, atque etiam vt natalis ſoli

dulcedine captus patriæ tuæ, a nullo, quod sciam, hactenus pro ea ac meretur, celebratæ historiam condas, vt vasta & capaci mente tua vniuersi naturam complexus, eandem per nondum a quoquam exploratos superiorum corporum motus oculis nostris exponas, tandémque vt certissimæ rationis & viæ, quam in scientiis rebúsque tractandis adhibuisti, reliquos etiam participes esse velis mirifica illa & typis prope iam expressa de Methodo tractatione. Quæ omnia cùm attente mecum replico, hæreo propemodum in admirationem defixus, & hercle nescio an ingenium tuum extollam, in quo disciplinæ omnes, omnesque scientiæ & artes tanquam in delubro quodam continentur. An voluntatem mirer, qua tibi omnibus aliis

aliis voluptatibus interdicis, vt huic te præclaro juuandæ posteritatis officio totum indulgeas, An denique naturam tuam, quæ tot laboribus & vigiliis parem se præbet, aut fortunam ac teipsum, vel in te quidquid est tam rarum & eximium suspiciam. At enim quia spatijs iniquis disclusus non possum Encyclopediam illam, qua solus hoc tempore, aut vnus potissimum excellis pro merito celebrare; reliquum est vt de Methodo tua tibi valde gratuler & mihi ac omnibus qui eius gratissima lectione propediem fruemur, summopere gaudeam; futurum enim spero vt magnos atque vberes ex illa tractatione fructus eruditi omnes percipiant & in his præsertim, quicumque experti sunt omnes difficultates, quas illa sustinet, nondum

compoſitas fuiſſe a ſummis viris Leoniceno, Trincauello, Fiera, Montuo, Zabarella, Piccolomineo, & innumeris alijs qui de tribus doctrinis ſcripſerunt, aut ſatis pro rei ipſius dignitate explicatas a Carpentario, Ramo, Turnebo, Perionio, Thaleo, Leodegario, nec non etiam Arnaldo Oſſato non certè poſtquam inter purpuratos Eccleſiæ Principes adlectus fuit, ſed multum antea cùm inter Academicos Pariſienſes & in humiliori longè fortuna verſaretur. Quanquam ijs omnibus cura fuerit vt de Methodi natura viribus ac differentijs & ad ſcientias omnes rectè tradendas, percipiendáſque maxima vtilitate non minùs diligenter, quàm eruditè, eloquentérque ſcriberent, nimirùm, Vir doctiſſime, parum tibi videbatur

batur in ſcientiarum latentes receſſus deſcendiſſe, niſi viam omnibus ſterneres, qua in eoſdem pari tecum facilitate penetrare poſſent; niſi filum illud Ariadneum explicares, cuius ductu in doctrinarum triuio & quouis alio difficultatum labirintho veſtigia tua ſequerentur, niſi denique Cynoſuram oſtenderes, ad quàm reſpicerent, qui Pelagus Scientiarum vaſtum quidem illud & incertum ſulcare aggrediuntur. Et ſanè quis meliùs potuiſſet de Methodo ſcribere, quàm ille qui Methodi beneficio nihil vnquàm nõ ſolidè, non prudenter, non clarè & perſpicuè ſcripſit, quique præcipuos AuctoresMethodi, Galenum, Hippocratem, Euclidem, Theophraſtum, Ariſtotelem ſic euoluit, vt cùm omnes horum ſententias tan-

quam vngues & digitos teneat, tum & libros ope Methodi scribat, quos non præfixo Auctoris nomine si quis euoluat, possit non injuria veteribus illis acceptos referre, Quamobrem,

Vt esse Phœbi dulcius lumen solet
Iam jam cadentis,

Sic tua illa scripta, quæ si non a iam cadente, quod Deus omen auertat, saltem extrema sunt & de homine, quem in grandi illa & confecta penè ætate tantum laboris non suscepisse modò sed absoluisse mirum est, bonis omnibus maiorem in modum grata fore & accepta non dubito, mihi certè omnia quæcunque facis ita arrident, sic me capiunt, & oblectant libri tui, vt eius postremi desiderium non patienter feram. Cæterùm de Castigatione Camilli, Gloriosi,

Gloriosi, hominis valde quidem præclari & eruditi nuper a te castigata nimium est quantum te amant vrbis Mathematici quibus summopere placuit tantum modestiæ, cùm tam perspicua & vsque adeò certa & accurrata doctrina fuisse conjunctum, libentérque propterea curaui vt exemplaria illius, quæ ad me transmiseras aut in eruditorum manus ex tuo munere deuenirent, aut per librariorum tabernas distraherentur, atque vt jubebas vnum seruaui Doctissimo Gassendo, quem nobis fermè ereptum fuisse mensibus proximè elapsis dira & peruicaci febre, a qua cùm ad me scripsit, nondum planè conualuerat, non est quod te qui virum hunc maximi semper fecisti, celare debeā. Si quod præterea obsequij in te mei

dum nuper ad me ſcribebas, explorandis, his, inquam, de cauſis. nunquid ipſe in publica & priuata tua commoda peccarem ſi nouo aliquo argumento tibi ad me ditandum propoſito iniquæ Iunonis inſtar non modò tua tempora morarer, ſed ſtudia & animum tuum adeò varias in partes diſtractum fatigarem; quamobrem non vrgeo ego Amicorum poſtulationes quæ tibi moleſtæ ſint,ſed hoc tantum enixè a te contendo vt cùm animi a grauioribus curis laxandi causâ in Saluſtium noſtrum reſpicies, quædam in eum ſtrictim animaduertas, quibus ornatior exire denuò poſſit in publicum; noui enim quàm multa tibi ſub acumen calami veniunt, in quibus præferendis plus herclè ſatis reliquorum mnium deſudaret induſtria

&

& nihilominus tamen istis me & Salustium beare potes, cùm vtriq; nostrum satis sit judicium tuum qualecunque tandem illud fuerit, & nullo magis sit nobis honorificum promeruisse. Vale, vir Clarissime, & eruditissimum Collegam tuum Ioannem Argolum, cui propter temporis angustias non scribo, Aulicósque supra morem Aulæ, singulari judicio præstantes multúmque literis humanioribus excultos Vincentium Nogheram & Donatum Lintellum, verbis quàm fieri potest humanissimis atque amicitia & obsequio meo dignis saluta. Dabam Reate 6. Kalendas Decembris. 1638.

tendi ad te Saluſtium Philoſophum & reſpondendi tribus aut quatuor Epiſtolis quas ad me de tuis occupationibus peramanter ſcripſiſti, non illas voces apud me comprimam, quas etſi maiorem in modum tuo pudori moleſtas fore nullus dubito, non poſſum tamen præ virtutum tuarum admiratione, etiam ſi maximè velim; diutiùs retinere. Ecquis enim non miretur te in illa prouecta & ingraueſcente ætate conſtitutum, ad quam ſi quis alius peculiari naturæ indulgentia peruenerit, tum demum conquieſcere ſolet, veluti redintegratis vocibus alacriorem reddi ad nouos & te vno maximè dignos labores, quorum ego numerum & difficultatem cùm ex te audio, non poſſum ſanè non grauiter Plauto & Turpilio Co-

beat. Nam quid aliud loquuntur non ſedula modò opera, quam quotidie nauas in expoliendis, recognoſcendiſque lucubrationibus illis quas toto anteactæ vitæ tuæ decurſu typorum beneficio publicas omnibus feciſtis ſed meditationes aſſiduæ, quib. incœptos de de Morali philoſophia, de rerũ naturalium cauſis, de morborum dignotione & remediis, de Mathematicis corporibus, de Sphæris & obſeruationibus nouis ſermones abſoluis; tandémque pertinax illa & indomita docendi voluntas, quæ te incenſum, inflamatúmque ſciẽtiarum amore ſenſim impellit, vt prouocatus cum illis in certamen deſcendas, qui te eam in arenam vocare non dubitant, in qua robuſtiſſimos jam Athletas ſuſtinuiſti, atque etiam vt natalis ſoli

dulcedine captus patriæ tuæ, a nullo, quod ſciam, hactenus pro ea ac meretur, celebratæ hiſtoriam condas, vt vaſta & capaci mente tua vniuerſi naturam complexus, eandem per nondum a quoquam exploratos ſuperiorum corporum motus oculis noſtris exponas, tandémque vt certiſſimæ rationis & viæ, quam in ſcientiis rebúſque tractandis adhibuiſti, reliquos etiam participes eſſe velis mirifica illa & typis prope iam expreſſa de Methodo tractatione. Quæ omnia cùm attente mecum replico, hæreo propemodum in admirationem defixus, & hercle neſcio an ingenium tuum extollam, in quo diſciplinæ omnes, omneſque ſcientiæ & artes tanquam in delubro quodam continentur. An voluntatem mirer, qua tibi omnibus

aliis

aliis voluptatibus interdicis, vt huic te præclaro juuandæ posteritatis officio totum indulgeas, An denique naturam tuam, quæ tot laboribus & vigiliis parem se præbet, aut fortunam ac teipsum, vel in te quidquid est tam rarum & eximium suspiciam. At enim quia spatijs iniquis disclusus non possum Encyclopediam illam, qua solus hoc tempore, aut vnus potissimum excellis pro merito celebrare; reliquum est vt de Methodo tua tibi valde gratuler & mihi ac omnibus qui eius gratissima lectione propediem fruemur, summopere gaudeam; futurum enim spero vt magnos atque vberes ex illa tractatione fructus eruditi omnes percipiant & in his præsertim, quicumque experti sunt omnes difficultates, quas illa sustinet, nondum

compositas fuisse a summis viris Leoniceno, Trincauello, Fiera, Montuo, Zabarella, Piccolomineo, & innumeris alijs qui de tribus doctrinis scripserunt, aut satis pro rei ipsius dignitate explicatas a Carpentario, Ramo, Turnebo, Perionio, Thaleo, Leodegario, nec non etiam Arnaldo Ossato non certè postquam inter purpuratos Ecclesiæ Principes adlectus fuit, sed multum antea cùm inter Academicos Parisienses & in humiliori longè fortuna versaretur. Quanquam ijs omnibus cura fuerit vt de Methodi natura viribus ac differentijs & ad scientias omnes rectè tradendas, percipiendásque maxima vtilitate non minùs diligenter, quàm eruditè, eloquentérque scriberent, nimirùm, Vir doctissime, parum tibi videbatur

batur in ſcientiarum latentes receſſus deſcendiſſe, niſi viam omnibus ſterneres, qua in eoſdem pari tecum facilitate penetrare poſſent; niſi filum illud Ariadneum explicares, cuius ductu in doctrinarum triuio & quouis alio difficultatum labirintho veſtigia tua ſequerentur, niſi denique Cynoſuram oſtenderes, ad quam reſpicerent, qui Pelagus Scientiarum vaſtum quidem illud & incertum ſulcare aggrediuntur. Et ſanè quis meliùs potuiſſet de Methodo ſcribere, quàm ille qui Methodi beneficio nihil vnquàm nõ ſolidè, non prudenter, non clarè & perſpicuè ſcripſit, quique præcipuos AuctoresMethodi, Galenum, Hippocratem, Euclidem, Theophraſtum, Ariſtotelem ſic euoluit, vt cùm omnes horum ſententias tan-

Gloriosi, hominis valde quidem præclari & eruditi nuper a te castigata nimium est quantum te amant vrbis Mathematici quibus summopere placuit tantum modestiæ, cùm tam perspicua & vsque adeò certa & accurrata doctrina fuisse conjunctum, libentérque propterea curaui vt exemplaria illius, quæ ad me transmiseras aut in eruditorum manus ex tuo munere deuenirent, aut per librariorum tabernas distraherentur, atque vt jubebas vnum seruaui Doctissimo Gassendo, quem nobis fermè ereptum fuisse mensibus proximè elapsis dira & peruicaci febre, a qua cùm ad me scripsit, nondum planè conualuerat, non est quod te qui virum hunc maximi semper fecisti, celare debeã. Si quod præterea obsequij in te mei

periculum facere velis, iussis tuis confestim obsequar, volo enim tibi persuadeas adeo mihi cordi fore, quæ tua sunt, vt ne mea quidem illis anteponam. Salustij Philosophi exemplaria fratribus Angelinis non mitto, quia mihi ab eo qui sumptus editionis fecit perquàm pauca concessa sunt, Iudicium interim de vllo tuum opperior, sed ea lege vt scribas cùm voles, idest, cùm per occupationes tuas licebit, homini enim quem sibi tot negotia vendicant molestię quicquam procreari mea de causa nollem. Vale Vir præstantissime, & quos antea dicebam Fratres Angelinos, homines cùm de litteris non mediocriter, tùm verò præclarè de me meritos & quod libenter audio rebus tuis fauentes impensè meo nomine saluta.

dabam Reate pridie Nonas Decembris 1638.

LXXIV.

Comiti Federico Vbaldino suo,
Gabriel Naudæus S.P.D.

Vrbinum

MVlta sunt, Vbaldine suauissime, de quibus hodie tecum expostulari volo, non quidem vtringaris, sed vt rideas & hominis jocos excipias, cùm ad te præsertim scribit vrbanioris solito & omnem animo nubem deponere soliti. Mitto igitur quod me tam veterem amicum nunquam ad prandium inuitasti; nam vos Sorices Vaticani pro more habetis rusticos mures quamtumuis olim paupere suo tecto vos exceperint, non ita libenter in felicitatis vestræ participationem admittere:

atque amicitiam nostram sum obtestatus vt sancti Damasi opera, quæ te parario nuper edita sunt, mihi habere liceret, tu verò quodnam tandem offuciarum genus non iniecisti voto meo, aliquando ipsa exemplaria penes Compaginatorem erant, nonnunquam legitimo foliorum numero destituebantur, fuit etiam cùm ipsorum nonnulla emendatione quædã indigerent, & mille denique modis verba mihi dare studuisti, cùm interim Amici tui omnes Damasi exemplaria acciperent, & eãdem in te vrbanitatem laudarent, quam ego in te vehementer desidero, nempe quemadmodum priores amicas postremæ deijciunt, sic veteres Amici deteriori apud te loco sunt quàm noui, verùm quàm tu hac in re diuersus sis ab omni-

tuum similibus donis non afficis, sed Damasum ita premis vt eo nisu quem perperam fieri, ad hunc ipsum è cubiculo tuo eliciendum erigere profecto jacentem obeliscum potuissem. Quare nisi teipsum & existimationem tuam deseris; non permittas quæso vt obtrectationibus in illum meis vlterior præbeatur occasio, sed Damasum mitte, nudum aut indutum parum quidem refert ad naturam meam; quæ satis blanda & facilis est vt vtrumuis mihi ęqui bonique consulat. Quanquam si ad culpam tuam respicias, quæ non nisi testificatione quadam eximia tuæ in me voluntatis obliterari potest, conuenientius esset ipsum non indutum modo communi lacerna, sed aureis filis circum oras intercurrentibus distinctum, minióque

foliorum extrema circumlitum, ac probè sericis vinculis fasciatum transmittere. Hæc igitur illiberalitati tuæ dica debebantur, superest nunc alia, quam nisi moleste feras inhumanitati tuæ dicturus sum, octennium est, si nescis Vbaldine carissime, quod Romam veni, cùm vt optimo meo Mœcenati famularer, tum etiam vt rebus meis paulò quàm vellem augustioribus inseruirem, his autem votis supra quàm sperassem arrisit multoties fortuna sed illa quidem Britannica togatos inter vulturos sedens,

Quæ semper habet lites, alternáque
jurgia secum.

Qurpropter enixè vellem vt Eminentissimus tuus Princeps Franciscus Barberinus Romanam, quæ tota ipsius & purpuratorum Anti-

ſtitum eſt, ſummámque animis hominum pacem conciliat, mihi ſemel propitiam faceret, hoc enim modo perfacili beare meipſum poſſet & a moleſtis etiam meis interpellationibus ſeipſum liberare. Verùm quia Principibus id moris eſt quod Mercatoribus ditiſſimis, qui proxenetam, quam vos quorum nomine venit lubentius admittunt, rogaui te propterea non ſemel vt eius munere defungi pro me velles apud tuum ſimul & vrbis Romæ Principem, ſed tu quaſi non ille fores, quem ante ſexennium Vrbini tam facilem, ſuauem, lepidum, humanum, mihique in omnibus fauentem & beneuolum expertus fueram, moras in dies noctis, patúmq; de me aut rebus meis videris eſſe ſolicitus. Ego verò quem Annibal non per

vrget sed bona mens delectat, cuius vt dicebat Petronius soror est Paupertas, aurem tibi vello & admoneo te sed secreto vt a me si fieri possit tam importunam sororem amoueas inijciendo sensim coram Eminentissimo Principe eos sermones, qui cum aliqua mei mentione delectare ipsum non minùs quàm monere possint, cuiúsque pectus naturâ festiuum majori adhuc festiuitate distendere, quod postquam tuo more feceris, hoc est argutè, prudentérque; tum verò quasi ex insidijs prosiliens hæc, aut similia verba ore tuo renidenti & ingenuè libero proferres, Naudæus, Eminentissime Princeps, vir optimus est, non ignarus multarum rerum, non morosus, non asper, non sordidus, sed liber, apetus, frugi, moribus antiquis

viuens

viuens, tibique vni potissimum multis nominibus deuinctus & addictus etiam quantum vix tibi persuadeas; hoc illi tantùm vitio dari potest, quòd licet vxorem proximi sui non concupiscat, diuitijs illius non inhiet, domum non desideret, ancillam non amet, bouem aut asinum non abigeat, libros tamen eius habere quærit, & nisi illi honeste proferantur, statim ad historiam Pogij Florentini, qui vt Titum Liuium emeret, domum suam vendidit, sermonem de industria flectit, additque se cùm domum, quam vendere possit, non habeat, horologium exposuisse pro Roma subterranea; deinde Mensariorum his temporibus exulceratis difficultates caussatur, Patriæ tumultus rebus suis priuatis multùm officere subindi-

cat, & aliquando etiam omni pudore deposito se non habere vnde illos emat asserit, rogat idcirco angustijs suis vt consulatur & in summa liberè petit, vt sibi quemadmodum alijs ficus & Melopepones solent, concedantur, atque hac tantùm in re Amicis suis molestus est, quamobrem Cardinalis Eminentissime, næuum hunc qui hominem deformat, tibi jam pridem probatum & alioqui specie eleganti a natura donatum, abstergere facili negotio posses, concesso illi tenui aliquô in vrbe sacerdotio, quo non tantùm viuere decenter, sed libros emere, & libellos etiam omnes, qui prostant in Agonali Circo posset. Nempe onsilijs eiusmodi apud Principem tuum mihi opus esset, & in his suggerendis operâ tuâ potissimum

mum quem si tu mihi libenter accommodaueris, meum Cor eris in posterum, mea colostra, meus mollis caseus, imò meus Onosander ab ope scilicet, quam mihi feceris. Vide sodes quàm pulchrum sit hoc nomen & quàm aptum vt Epistolis quos ad te postea frequentes scribam, præfigatur; sanè non Atticus Ciceroni, non Lucilius Senecæ, non Tranquillus Gremenæ, aut Cardanetus Mureto vnquam ita dilecti fuerunt, vt tu mihi carus eris & inter Amicos interioris admissionis precipuus. Quid plura? tecum diloricabo pectus & cor disclupeabo meum, nec erit aliquis, qui plura de Naudæo sciat, aut majora apud ipsum possit, quàm Vbaldinus, de cuius doctrina & moribus ad omnem Elegantiæ rationem compo-

ſitis plura dicerem, niſi mihi tot in Epiſtolis quas poſtea ad Onoſandrum ſcribam, de præſtantis ingenij tui dotibus dicendum foret magis cumulatè, & ego non minimum vererer, ne ſi quid voluptatis preſens hæc Epiſtola nugax, ridicula non elaborata, atque vt ſponte, quod te rogo, facias, ſponte etiam & a properanti calamo veniens, tibi inſtillarit idipſum lõgitudine ipſius exhauriam. Vale mi, nondum Onoſander, ſed Vbaldine, & ſi Damaſum tuum ad nos perferri deſideras, illum Bucciardo noſtro trade cui me plurimùm quoque commendabis.

Dabam Reate 7. Idus Decemb. 1638.

LXXV.

LXXV.

Petro Seruio Medico Clarissimo,
Gabriel Naudæus S. P. D.

Romam.

MVsas meas, Petre Serui, Medicorum disertissime, iratas omnes mihi habeas, si non tuæ, licet elegantes & amabilissimæ supra quàm dici potest, miris profectò modis & quod suspicor etiam flagitiosis a Typographo Auenionensi violatæ fuerunt. Sanè ipsum Castalioni valde amicum fuisse oportet, qui in sumenda de eius Censore vindicta nihil eorum omisit, quæ deturpare librum tuum, etiam cum ipsius Castalionis, si viueret, miseratione possent. Quid enim ingentes lacunæ sibi volunt de industria relictæ ad fœditatem, cùm minimo-

ſumptu expleri potuerint? quid tot plagarum vibices, & corium variis modis lacerum ſignificant? quid deniqne tam crebra vlcera & turpitudines infinitæ declarant, niſi aut immaniter iratum in te fuiſſe, aut oppidò negligentem Typographum? Sed quid opus eſt rem maximè omnium ingratam tibi, atque moleſtam verbis ab arte tua deſumptis amplificare, cùm ego potiùs ex mea, quæ tota ferme in excolendis præſtantium virorum amicitiis poſita eſt, fidem tibi facere poſſim ad animi tui ſolatium, quod ſapientiſſimus Antiſtes Vaſionenſis, qui hunc fœtum è domo tua, velut Altonem de columna ſuſtulerat, tam grauiter de hoc eius infortunio mecum conqueſtus eſt, vt nihil vnquam ſibi magis diſplicuiſſe

cuiſſe contendat, quàm eiuſmodi hominum, qui præ̃lis Auenionenſibus præſunt, non incuriam modò, aut indiligentiam, ſed ſocordiam meram, quæ eò iam perducta erat, vt huic euellendæ ex eorum animis non ſtudium omne ſuum, nec auctoritas, qua plurimum tamen apud omnes valet, ſatis eſſe potuerint. Vnde ſi maximos etiam dolores lenire poſſunt Amicorum officia cum recentibus illis tempeſtiuè admouentur, exiſtimo ego, Petre Serui, multum iam fomenti iuſtiſſimo tuo acceſſiſſe ex incredibili moleſtia, quam optimus ille & doctiſſimus Antiſtes Suareſius ſe ex illo percepiſſe, vt poſtremis ad me ſuis literis, ita etiam & in illis quas ad te frequenter, vt opinor, ſcripſit, teſtatus eſt. Sanè quantum ad me

pertinet; doleo maiorem in modum Iuueniles illas ferias, quas tam eleganti & arguto stylo, tam varia & accurata doctrina, iudicio tam maturo & exquisito composueras, vt nihil in illis sit non summopere tersum, & emendatum, næuos eiusmodi a Typographis tulisse, qui de natiua earundem pulchritudine licet nihil detrahant, multum tamen operis totius perfectæ & consummatæ felicitati videntur officere. Et herclè cum Beuerouici nostri, aut aliorum Auctorum libros euoluo, qui ex Elzeuiriorum officina prodeunt, non secus ac de Palladis Arcula, aut Darij scrinio & vsque adeo culti, ac diligenter elaborati sunt vt rudes etiam & nedum calamo, sed ligoni assuetos homines in sui amorem pellicere valeant, non

non possum profectò non iniquo animo pati,& maximopere rursus non dolere quod huic tuo, cui cuncta per te ad summam laudem abundè suppeditata sunt, nihil aliud quominùs ipsam consequeretur, defuerit, quàm Elzeuiriorum fratrum, aut id genus Typographorum qui libros tam scitè exornant diligentia. Sed querelarum plus est fortasse quàm oportuit, maximè cum remedio non desit locus & quidem certo, vltimo, expedito & cum amicis tuis multum conducibili, tum verò etiam tibi non valde molesto expectationem scilicet, quam de laboribus tuis apud Bibliopolas Romanos,qui tuas Institutiones Medicas placere omnibus & celerrimè distrahi vident, magnam herclè & prorsus singularem concei-

tasti. Hoc autem est vt ferias illas Iuueniles Romæ ex autographo tuo rursum excudi cures quemadmodum antea librum *de sero & lacte* fecisti, nam cùm huius noua expolitio tibi feliciter cesserit, audeo ex ea futurum quoque tibi, si polliceri quod licet Symmachus dixerit, *Patres auaros esse voti, nec vlla filiorum bona putare esse perfecta desiderio & cupiditate potiora*, nihil tamen in hisce feriis tua cura & solicitudine purgatis relinquetur incommodi propter quod illæ minùs imposterum tibi placere possint, verè enim tibi dico, Petre Serui, optimæ sunt, elegantes sunt, argutæ sunt, accuratæ sunt, & ex ditissimo Antiquitatum penu depromptæ, nec dubito Mediusfidius quin si te in hoc scribendi genere, in quo plurimum

vales,

vales, exereras, breui reuiuiscentes in te visuri simus Mercuriales, Cagnatos, Iunios, & eiusmodi Medicos omnes qui in vtraque illa Medicinæ simul & humaniorum literarum palestra, maxima cum nominis sui commendatione versati sunt. Quæ quidem verba si quis a me non tam veritati, quàm auribus tuis data fuisse existimet ne hunc ipsum valdè in Musarum castris peregrinum esse oportet. Cùm Exercitationes tuæ de sero lactis iampridem editæ Parisijs & Romæ postea, ac recentes feriæ de rebus ad Antiquitates Romanas spectantibus, breuésque illæ Institutiones, quibus Tyrones ad Medicinam informantur, tam facilè possint facundiam tuam delenificam & lectissimæ doctrinæ ac eruditionis præstantiam ostende-

re quàm propterea eſt vnicuique facem videre in tenebris aut Solem intueri pleno meridie. Quamobrem perge ſi me audis in illis te ſtudijs grauiter exercere, in quibus non opinione tantummodo quorundam hominum, ſed publica Vrbis teſtificatione, quam nemo bonus eleuare poſſit, jam magnus es lingua & calamo; quibus adminiculis vt Spartam noſtram ornare non deſinas, orant te docti omnes quicumque in ſpem aliarum obſeruationum veniunt, quas tu proferre in lucem, quotieſcunque volueris, minimo negotio potes obteſtantur quoque fidem & induſtriam tuam in rebus Medicis, qui dilatari illas & augeri quotidie lucubrationibus tuis vident, & ego pariter vt omnium illorum vota ſecundare non recuſes,

ſes,

ſes, poſtulo, quantus eſt amor in me tuus, quem certe non eſſe mediocrem præclara illa Proluſio Iatrophilologica, quam in nomine meo non ita pridem apparere voluiſti ſatis ſuperque declarat. Vale vir clariſſime, & cùm obuios habebis Baldum & Zacchiam tui iuxta mei amantiſſimos & eruditiſſimos homines, complectere illos quæſo meo nomine peramanter, ac vtrinque etiam principium Anni quod ingredimur felix precare. Dabam Reate 9. Kalendas Ianuarias 1639.

LXXVI.

Viro Clariſſimo Iacobo Michaloro, Gabriel Naudæus S.P.D.

Vrbinum

MVnus tuum verè literarium, Michalori Senex optime, doctiſſiméque, tum quia a te ho-

mine mihi summa necessitudine conjuncto profectum est, cùm etiam quia præter spem, & expectationem meam venit, non potuit mihi non esse gratissimum. Amo enim te, Michalori, quantum homo hominem potest, aut potiùs quantum ipse amari abs omnibus ob morum tuorum suauitatem & ingenium bonis artibus excultum, fidémque & constantiam tuam in amicis tuis non obseruandis modò, sed demerendis nouo semper officiorum genere. Tuum verò munus quod literas doctissimorum hominum ad Maccios scriptas complectitur, adeò tempestiue mihi redditum est vt si paulò tardiùs accidisset, tu quidem ista liberalitate tua satis opportunè vsus fuisses, neque ego fructum ex ex ea vllum percipere potuissem.

Quamo-

Quamobrem rogitaui multoties aurem tibi de literis eiusmodi vellere & admonere te confidentiùs vt Macciorum honori cum aliquo etiam negotiorum tuorum dispendio consulere, sed duo imprimis fecerunt ne tibi de hac re molestior fuerim; vnum quod ex tarditate tua facilè mihi persuadebam nihil a te repertum fuisse inter concreditas fidei tuæ Macciorum chartas, quod ditiorem facere posset collectionem illam, quam agitare dudum animo cœpi præstantium aliquot literarum accessione; Alterùm verò quod nolebam a te crebriùs exigere promissa, ne quod liberalitatis tuæ erat, id viderer fidei velle tribuere; licet vtrique tamen pariter confiderem, sed tu Michalori non passus es diligentia & humanitate

tua incredibili me in angustijs e-iusmodi versari diutius, pluresque literas & a præstantioribus viris misisti quàm optare etiam si maximè sim illarum auidus potuissem. Vnde non modò majorem in modum acceptæ illæ mihi fuerunt sed omnes animi mei partes tanta voluptate perfuderunt, vt nihil vnquam mihi jucundius accidisse meminerim, aut propter quod debeam te cõplecti lubentiùs & omnia tibi quasi iure optimo debita studia officiáq; mea polliceri. Atq; hæc cum ita sint, potes jam per te satis intelligere qua voluntate curaturus sim negotia tua apud Vendelinum & Melchiorem Imhofer homines ætatis nostræ qui omnium felicissime Mathematica studia cum Theologicis conjunxerunt. Quanquam de priori verear ne eo

ne eo nuperrimè profectus sit, quo nobis omnibus semel deueniendũ est, siquidem vltimæ literæ, quas ex Germania Aulicus quidam noster accepit disertis verbis nunciabant præfectum quemdam nonnullis Sacerdotiis nomine Vendelinum fatis concessisse; proptereáque dubius hærebam cùm tuas accepi num de hac morte certior absque Slingelandi nostri literis fieri à me deberes, ne istius nominis ambiguitate in maximum te incomparabilis illius desiderium frustrà conjicerem, Slingelandus verò noster propter summam gladiorum licentiam & volitantem passim illic locorum vbi degit profligatissimorum militum cateruam tam raro scribit vt cùm antea patienter tuleris illius aut Vendelini tarditatem non

debeas nunc ægrè ferre quod in aliquod aliud tempus ea demùm tibi ſuſtinenda ſit, ſed facilius, opinor, erit quid Patri Imhofer Antapocriſi tua opus fuerit & quos Puteani fautores confodere iterum debeas, ab eodem Patre intelligere modò tamen is ipſe ſub adventum in vrbem meum Meſſanam non diſceſſerit, quo breui profecturum eſſe diu multúmque eſt cùm ab amicis quibuſdam meis accepi, verùm ſi fortuna tulerit, vt conuenire ipſum nòn poſſim curabo tamen meis aut aliorum ad ipſum Patrem literis vt voti tui compos quàm celerrimè fieri poterit reddare. Denique quod anxiè ſub finem tuarum petebas vt Cardinalem meum tuo nomine ſalutarem, eíque ſanctiſſimi Natalis dies feſtos atque longè

longè multos consequentes fortunatos augurarer, illud præstiti eo modo quo maximè debebam & longos cum eo de tuis rebus sermones habui, quas identidem felicissimè tibi procedere desiderat, & eam præsertim oculis tuis sanitatem restitui, quam vel assidua librorum tractatio, vel ætas ipsa ad omnes corporis molestias procliuior his ademit; & ego pariter qui tibi in literis meis propter ineptas earum formas & properanti semper calamo exaratas cruciabiliter laborãdum esse scio; illud vt pro Cardinalis mei votis succedat magis quàm quisquam alius opto & voueo. Ceterùm quo molestia literarum mearum gratissima alterius facillimæ & jucundissimæ lectionis vicissitudine subleuari possit, mitto ad te

Saluſtium Philoſophum magni inter antiquos nominis, proptereaque dignus, qui typis quàm maxima diligentiâ fieri potuit Venuſtiſſimis expreſſus prodiret, de quo ſi quid non vulgare aut protritum ſentis, rogo velim, præſtantiſſime, vt iſtud ad me ſcribere non tibi ſit moleſtum; judicium enim de hoc Auctore tuum tanti faciam quanti & amicitiam tuam, & libros a te compoſitos, & teipſum ac omnia tua mihi ſemper facienda putaui. Vale vir clariſſime, veteranus noſter Petri Seruij binas quæſtiones, quarum vna Liceto, altera mihi inſcripta eſt, ne ſcilicet Soli & vmbræ non bene conueniat, tibi legendas commodabit, tu viciſſim illi Saluſtium indulge & cultiſſimo etiam Poëtæ veſtrati Leoni Sempronio, quem

velim

velim a me saluere plurimùm iubeas. Dabam Reate Kalendas Ianuarij 1639.

LXXVII.

Viro Maximo Fortunio Liceto, Gabriel Naudæus S. P. D.

Patauium

PRæstantium Philosophorum atque tui, Fortuni Licete, & Gassendi nostri similium, vt magna nusquam copia reperitur, ita maxima semper laus apud omnes esse solet. Quamobrem multum me vobis ambobus deuictum esse profiteor, qui occasionem mihi per literas vestras omnis doctrinæ reconditioris plenissimas frequenter exhibetis, vt iter illud magno & confidenti animo ingrediar quod eo me ducere possit quò vos dudum feliciter & publica totius Orbis confessione peruenistis. Ve-

rùm cùm is ego non sim, quem vos forsan ex quadam de me conceptа hominum opinione suspicamini & nondum industriæ meæ si qua tamen illa sit, periculum fecerim in eiusmodi Quæstionibus tractandis, quas nullus explicare meo judicio rectè potest, qui in naturalibus iuxta & Mathematicis speculationibus non fuerit maxima cum animi contentione versatus. Propterea non committendum esse mihi putaui vt difficilem illam obseruationem de Sole qui cùm horizonti vicinus est, non solùm major nobis apparet, sed majores etiam vmbras projicit, quàm dum in Æthere puriori & ab oculis valde remotus conspicitur, meo proprio Marte excutiendam susciperem. Nam si quid est in Scientijs, quod mihi per earum amœni-

amœnitates diuaganti minùs ex officio meo tranctandum esse duxerim, & in quo vt ingenuè loquar facilius, decipi ac errare possim, illud profectò Mathematicæ Disciplinæ sunt, quarum cognitionem magis admiror in alijs, quàm in me ipso desiderari molestè feram, maximè cùm totum sibi hominem requirant, me verò siue propria consilia, siue aliorum etiam imperia vnius tantùm rei studio deditum hactenus fuisse minimè permiserint. Cùm igitur penderem animi qua tandem ratione expedirem me ab illis salebris, in quas me Doctissimus Gassendus conjecerat dum amorem in me suum, magis quàm judicium consulit, nulla mihi conuenientior visa est, quam si pro licentia, quæ mihi ab ipsomet Gassendo conce-

ditur communicarem tecum de hac difficultate & explorarem diligenter quid tibi omnium hominum, qui nunc sunt φιλοσοφωτάτῳ statuendum esse de ea videretur. Nempe cùm hic tuam in dicendo vim, in scribendo solertiam, in meditando diligentiam felicitatémque in istis omnibus perspectas haberet & apprimè cognosceret quàm bene de studijs cùm Philosophicis, tum Mathematicis meritus sis, existimauit, nec injuria sanè lucem aliquam ab immenso & exculto ingenio tuo his obseruationibus nouis posse conciliari. Quapropter oro te, vir præclarissime, aque cum illo tam liberaliter vt non modò officium tuum, sed neque meum etiam desideret, literas enim illius ea de causa ad te transmitto, quas ad me
reuerti

reuerti curabis quamprimùm tibi per occupationes tuas licuerit quidquid in illis continetur eo modo quo reliqua soles ad veritatis lancem explorare. Atque hoc vt pro veteri tua in me & Gassendum beneuolentia facere non graueris tam enixè à te contendo, quàm meus etiam in te peruetustus amor videtur mihi satis audaciæ tribuere, hoc in præsentia vt faciam & in posterum quoque facere non verear, si modus aliquis in studiorum meorum ratione vindicem postulet aut deum potiùs ex machina, qui profectò nunquam erit a Liceto meo diuersus. Vale & Syntagma meum de studio Militari, quod Typographus vltra quàm sperassem diligentiùs atque vt nihil dissimulem accuratiùs vrget, propediem

expecta. Dabam Romæ 9. Kalendas Iunij 1639.

LXXVIII.

Eidem.

IVdiciũ de tuis Operibus meum, Fortuni Licete, tam verum esse in dies depræhendo, quàm quod verissimum esse potest; dicere námque de illis solitus sum quòd etiamsi omnes libri a te publicam in lucem remissi, extra communem reliquorum aleam existant, nihilque plebeium habeant, aut incultum vel è medio petitum, ita vt nullus profectò illorum sit qui erudita ingenia morari non debeat. Quidam tamen adeò feliciter elaborati sunt vt nihil in eo genere fieri possit absolutius, nihil quod curiosum lectorem potentioribus illecebris ad se

trahat.

trahat ſeu voluptatem cupiat aut fructum aliquem ex iſtis percipere. Quos autem velim innuere, nec te modò nec alios latere poteſt, cū eiuſmodi ſint Meditationes tuę de reconditis Antiquorum lucernis, de ſpontaneo viuentium ortu, de Monſtris, de Cometis, & de ijs, quæ ſine cibo viuunt, vt nemo ſit paulò diligentiùs in Literis amoenioribus verſatus, aut Scholaſtici pulueris minùs amans, qui has cum admiratione quadam tuę virtutis ſemel iterúmque non euoluerit, imò verò quamdiu erunt homines, qui fauere præclaris conatibus velint, tandiu non defuturos ſpero, qui maxima cum ratione dubitent num majorem illæ poſteritati fructum, aut famam tibi apud non tuos modò, ſed exteros homines attulerint; certè ve-

niunt mihi nonnunquam in manus auctores valde boni, qui illas compositiones, quarum supra mentionem feci, impensè laudant, earúmque singula propè verba in suarum illustrationem deriuant, iidem etiam in causa sunt vt huic judicio de te meo lubentiùs acquiescam. Cæterùm quoniam omnes hîc recensere velle, qui tua Dogmata aut laudanda penitùs, aut saltem cum honorifica nominis tui commendatione paulò modestiùs excutienda, ventilandáque sibi proposuerint, non esset mea quidem sententia istius vel loci, vel temperis, cùm ad te præsertim scribam cui notiores illi quàm alteri cuiquam esse debent, obtestabor potiùs fidem atque humanitatem tuam vt horum omnium σύλλαβον si fortè hunc quem-

quemadmodum Cardanus & alij fecere, in aduersaria tua retuleris, exscribi per amanuensem tuum, & ad me cùm tibi commodum erit, transmitti procures, hoc autem eò impensiùs flagito quòd non tantùm illius lectione recentem ex gloriæ atque honoris tui commemoratione voluptatem percipiam, sed insuper hunc tuum Iudicem euoluendo, si quosdam alios conditionis tuæ fautores obseruare mihi contigerit, qui nondum ad notitiam tuam peruenerint, istis locupletatum eum, auctioremque factum ad te remittam, sanè commouit me desiderium illud casus valde singularis, qui mihi nuper accidit, nam cùm in Musæo meo sedens Renati Moræi Doctoris Medici Parisiensis,, quem apud te laudare su-

peruacaneum existimo, doctissimas in Scholam Salernitanam Animaduersiones euoluerem, móxque Pauli Zacchiæ & Baldi Baldij virorum in hac vrbe celeberrimorum libros de rebus item Medicis, tandémque Danielis Sennerti hypomnemata percurrerem, & maxima, incredibilique cum voluptate per eiusmodi doctas nouitates non consilio aliquo, sed casu volitarem, nescio quomodo in omnibus illis ita tuum nomen obuiam mihi factum est vt si quisquam alius idem sibi contigisse referret, proculdubio ludere hunc, aut fucum mihi ex composito facere, persuasum haberem, sanè res ipsa mihi omnino visa digna est, quæ earum literarum partem faceret, quas ad te de nonnullis dificultatibus Aristotelicis scribere con-

re constitui, præsertim cùm tantus vir, qualem Sennertum esse omnibus in confesso est ex libro de spontaneo viuentium ortu & alijs tuis lucubrationibus maximam partem Hypomnematum suorum confecisse videatur, nec aliter præclarum istud Opus absoluisse conueniendo tecum in plurimis & in nonnullis etiam ab opinionibus tuis dissentiendo. Proptereáque videtur mihi operæ pretium fore nisi jam librum hunc Sennerti videris omninò curare vt ad te quamprimùm siue Bibliopolarum, siue Amicorum ope perueniat, multum enim ex eo voluptatis percipies, gaudebisque, opinor, cùm huius præclarissimi viri tui & aliorum de causa, qui te velut Oraculum suspiciunt, & eo in loco tuam virtutem habent, qui

maximè conuenit Philosophicæ dignitati, quam tu hac tempestate solus non aliter libris & sermonibus tuis fulcire videris, quam Atlas & Hercules dicuntur a Poëtis Cœlum olim suis humeris sustinuisse. Profectò quantum ad me attinet, gratulor tibi ex animo hanc nominis tui famam, quæ eò jam vsque prouecta est vt nemo fermè de rebus Philosophicis scribat, qui te in patronum aut æmulum habere tuæ sententiæ maiorem in modum non desideret, & herclè certum est eos opinione sua non decipi, quandoquidem alios tui similes non frequenter gignit natura, nec producit industria, sed sæculis opus est priusquam aliquis reperiatur qui exemplo tuo multorum in se vim & felicitatem sæculorum multorúmque

que

que simul excellentium ingeniorum præstantiam repræsentet. His igitur quæ ad te præsertim & commoda tua attinet cùm factum sit a me satis, reliquum est, Fortuni Licete, vt meis quoque studiis consultum esse velis enodatione, quam a te peto, duorum locorum Aristotelis, in quibus fateor me non satis assequi quomodo ipse aut ex mente propria, aut ex Interpretum suorum sententia explicandus sit. Nam cùm in libris de Cœlo rationem quærit cur Cœlum ipsum perpetua conuersione ab ortu potiùs & a dextra parte feratur ad Occasum, quàm contra hæc demum verba subiungit, quibus videtur quasi purgare se ab eorum calumniis, qui ipsum temeritatis accusare possent, quod eiusmodi aut inanes, aut perar-

duas quæſtiones ventilandas ſuſcipiat, *de nonnullis igitur atque de omnibus exiti quidpiam dicere, nihilque prætermittere, aut inſignis ſtultitiæ forſitan, aut valde parati animi videbitur eſſe, non tamen omnes ſimiliterque increpandi, ſed dicendi cauſa quanam ſit videre oportet*, ἔτι δὲ πῶς ἔχων τῷ πιστεύειν, πότερον ἀνθρωπίνως ἢ καρτερώτερον. 1. & quo pacto ſe habeat in medendo vtrum humano modo an validius. In Politicis autem dum contemptum principis inter cauſas recenſet, quæ ipſorum imperia peſſumdare ſolent, illudque exemplo Sardanapali hunc in modum confirmat, aliæ autem ob contemptum vt Sardanapalo quidam conſpecto telam texere cum mulieribus. Poſtea ſubdit εἰ ἀληθῆ ταῦτα μυθολογοῦντες λέγουσιν, quod Heinſius & omnes alij vertunt, *ſi vera*

vera sunt quæ fabularum scriptores commemorant. Quæro igitur à te, vir doctissime qua tandem ratione fabularum scriptores vera referre possint, si quemadmodum, inquit Tullius *fabula est in qua nec veræ, nec verisimiles res continentur*, & si hoc ita se habet cur Aristoteles ea loquendi forma vsus sit, quæ vel impropria, vel saltem Poetica nec admodum grauitati sermonum, quos tunc habebat conueniens videri meritò potest; nam licet fabula rem passim diuulgatam non minùs certè quàm hominum ingenio excogitatam significet, & Terentius dixerit *postremo iam nos fabulæ sumus*, frequentius tamen a Poetis quàm Oratoribus vsurpatam in hac significatione vocem hanc memini, tantum abest vt historici scriptores rumorum passim

disseminatorum conuenienter ab Aristotele vocari possint aut debeant. Pari modo subit etiam mirari quod in illo textu libro 2. de Cœlo voce tam ambigua sit vsus vt ab Interpretibus licet doctissimis variè potiusquàm perspicuè reddita sit; etenim siue illa verba cum Ioanne Argyropilo vertas. *Quomodo se habeat in medendo, vtrum humane an ita vt asserat æque persistat*, siue cum Vatablo *vtrum in medendo humano modo se habeat, an validiùs*, siue cum Lucilio Philalteo *vtrum hominum more aut constantiùs se in asserendo*, vel quod vult Petronius *in assentiendo* gerat; semper tamen æquè dubium est apud me, quæ Latina vox Græcæ huic πιςεύειν commodior respondeat, & quid Aristoteles intelligat per diuersum hunc medendi, aut assentiendi

tiendi modum, hoc vero nisi tu, vir doctissime, mihi perspicuum facias non est quod de hac aut alia superiori difficultate petam ab alio responsum, cùm nota magis nulli demum sit tua quàm tibi Aristotelis mens & doctrina perspecta est, méque etiam adeò humanè peramantérque complectaris vt molestum tibi fore non putem eorum beneficio cumulare, cuius recordationem nulla vnquam apud me delebit obliuio. Vale, salutant te Petrus Seruius, qui nescio quid elegantiarum suarum nobis ambobus offerre cogitat & Allatius noster, tu vicissim Ioanni Argolo Noghueræ Donato meo nomine, quæso, plurimam salutem impertias. Dabam Romæ 4. Nonas Iulias 1639.

LXXXIX.

Æmilio Parisano Medico celeberrimo.
Gabriel Naudæus S.P.D.

Venetias.

QVandoquidem, Parisane doctissime, ita nostrum vtriusque fortuna comparatum est vt ægrorum cura, qui sese Venetiis fidei tuæ atque doctrinæ singulari committunt aduentum in Vrbem quotidie remoretur. Ego verò paulò magis quàm ex consuetudine mea fieri solet ab occupationibus molestissimis feriatus existam, non mihi diutiùs cessandum esse putaui ab ea gratiarum actione, quam tibi me ob acceptum nuperrimè tertium volumen Exercitationum tuarum de subtilitate & pluribus aliis maximis de causis valde prolixam debere satis intelligo; fecissétque vtinam

vtinam Deus immortalis vt pro tua in me perpetua & conſtanti voluntate, cuius illuſtre teſtimonium mihi ſemper præbuiſti, ſignum etiam aliquod meæ, quod expectationi de me tuæ ſatisfaceret, exhibere tibi potuiſſem, ſed eiuſmodi ſunt beneficia in me tua vt ipſa non officiorum meorum viciſſitudine compenſare, ſed ne quidem ſermone complecti omnia mihi poſſe videar. Quid enim commemorem affectum illum prope incredibilem quo me à decennio & ampliùs cùm ego te virum iam antea ſcriptis tuis celebrem adeundum eſſe mihi duxiſſem, peramanter complexus es? Quid factam a te toties támque libenter cum Gaffarello noſtro mei commemorationem? Quid literas quas a te non ſemel accepi

beneuolentiæ, fidei & constantiæ in me amando plenissimas? Quid præsidium quod a meis aliquot in grauissima conflictatione cum potentibus æmulis tibi sumendum putasti? Quid munera denique quibus me cùm præsens essem & absentem quoque prosecutus es; sanè quoties hæc ipsa cogitatione replico, replico vera & sæpe & libenter, toties pudet me nihil hactenus tui de causa fecisse, quod meam in te obseruantiam pro veteri meo instituto declarare possit; verumtamen executionem habeo cessationis meæ, quam si me ab illa purgare velim, non possis, Parisane, etiam si maximopere fores iratus non admittere veluti prorsus legitimam. Quid enim mihi, quem hûc vsque molestima locorum mutatio frequenter exer-
cuit

cuit tecum qui Venetiis degebas præterquam literarum potuit esse commercij; & aliquas scripsi & plures adhuc misissem si tam animum explere mecum potuissent quàm ego maiorem in modum cupiebam præsenti tibi obsequium probare meum & eos honores tibi habere quos cùm eximia tua virtus & doctrina merentur, tum etiam arctissima necessitudo nostra postulat. Quamobrem gratulor tibi votum quod habes referendi te ad domesticos tuos Lares atque vt ipso damnari quam primum velis, oro te, Vir Clarissime obtestórque quantum in me situm est, non quod Venetis inuideam summum illud bonum quo te sospite & curam sanitatis illorum habente fruuntur, sed quia non debes aut negotium tuum si vires

tibi ſuppetant, aut otium ſi vacationem poſtulas exteris potiùs concedere quàm patriæ tuæ, quàm Amicis, quàm Ciuibus Romanis, qui te vnum his temporibus extitiſſe, quem reliquis in Orbe Chriſtiano celebribus Medicis opponant, non in poſtrema felicitatis ſuæ parte ducunt; ego verò priuatæ meæ acceptum feram quod mihi te complecti peroffiſiosè, te crebriùs adire, tecum de rebus gratiſſimis ſermones miſcere, ac inſuper Amicis meis pararium me præbere conceſſum erit ſi nobis omnibus tuo in hanc vrbem reditu copiam feceris adeundi te nonnunquam, & doctiſſima facundæ ſenectutis tuæ reſponſa tanquam ſi ab Æſculapio venirent, accipiendi. Interim verò ſolabor me lectione Exercitatio-

num

num tuarum, quibus haud injuria nomen a ſubtilitate poſitum eſt adeo enim ſcribendo imples numeros omnes ſubtilitatis vt cùm difficultatem nullam quæ ad Medicinam attineat intactam relinquas, tum verò eam conuellere quam tuis argumentis propugnandam ſuſceperis, aut quam conuellere ijſdem voces defendere nemo poſſit. Quapropter reliquum eſt, Pariſane, vt replicata tam feliciter hominis natura, cœleſtium quod te facturum recepiſti ſecreta peruadas, cáque nobis ob oculos ponas, quæ nec Ariſtoteles vidit, nec Ptolæmeus inuenit, nec forſan ex recentioribus Aſtronomis quiſquam vel Galilei tubo factus oculatior aſſecutus eſt. Videris enim mihi prorsùs multa peracri tuo judicio a innata ſolertia

excogitare posse supra ingenij nostri modum & captum, ex quibus fama tui nominis, licet ipsa per se jam amplissima sit, multùm tamen illustrior reddatur; tantùm abest vt Mundinus vel Gallego, dum molestissimis tuis occupationibus interueniunt humiléſque serpunt inter nugas & juuenilia, aut nominis aliquid sibi tam improbo conatu parare possint, aut honori & celebritati tuæ vel minimùm officere. Qua de re jubeo te securum esse, vt similes aliorum ronchos imposterum negligere, & Cœlo, quod nunc in Musæo tuo voluis, liberiùs incumbere possis. Vale, dabam Romæ 4. Nonas Maias 1639.

LXXX.

LXXX.

Viro Clarissimo Nicolao Borbonio Gabriel Naudæus S.P.D.

Lutetiam

IN maximo rubore, quem mihi versus tui non elegantissimi modò sed humanissimi injecerunt, non potui, Nicolae Borboni, non difficulter apud me constituere quid tibi causæ tandem fuerit cur me horum singulari & diuino propemodum munere afficiendum esse duxeris, nam si ad meum erga te studium quod certè peranti-quum est me conuerto, scio quidem illud tam ignotum hactenus tibi fuisse, quam ego non sim, vt opinor, vel de facie notus, si verò in nominis mei fama causam istius beneuolentiæ tuæ quæro, non minùs profectò ridiculus eo nomine videri possim, quàm qui maximè

desipit, quoniam hac in me prorsus nulla est, si denique Syntagma meum de studio militari purgatissimis tuis auribus placuisse dixero, vereor statim ne judicio tuo, quod excellens in paucis ac limatum est, injuriam fecisse videar, & in summa postquam me totum ad vnguem exploraui, nihil in rebus meis inesse depræhendo quod a te viro omnis egregiæ virtutis laude cumulatissimo commendari suo merito debeat. Quamobrem reliquum est vt tuum illud ingens & immortale beneficium eximiæ voluntati, quam habes in literis acceptum feram, cùm ea sit in te adeo conspicua & præcellens vt non tantummodo studeas Imperatoris optimi partes in castris Musarum sustinere, sed tyronum conatus exemplo simul & cohortatione

tatione tua promoueas, impellasque ad aliquid in ipsis, quod expectationem tuam non fallat suscipiendum; propensum autem hunc in omnes Literatos affectum, vt peculiari quadam mecum significatione testatum faceres, non dubito te ea prædicatione de studiis meis inductum fuisse, quam eruditissimus noster Guido Patinus cùm apud Amicos communes magnificè, tum verò penes te non tam pro merito meo, quàm pro incredibili sua in me beneuolentia facere solitus est, & sanè quamuis testimonium illud quod de meo Syntagmate tam honorificum protulisti, vt nullum vnquam luculentius acceperim, eiusmodi sit, quod me totum tibi vendicet, fateor tamen non minimum illud esse quod parario huic apud te

meo debere me ea de causa intelligo; nam absque illo fuisset, neque tu, vir clarissime, qui solus aut pręcipuè majestatem antiqui Carminis hac tempestate sustines, quique Memmios tantùm & Richelios Regisque nostri victorias, ac maxima quæque tuis carminibus celebras, adductus vnquam fuisses vt mei quoque in æternis tuis monumentis extare velles memoriam, neque ego obsequium tibi probare meum, aut opinionẽ quam de tuis incomparabilibus meritis præclaram semper habui, declarare aliter quàm tacita veneratione potuissem, tantum abest vt me eorum albo, qui tibi multis nominibus deuincti sunt adscribi aliquando debere sperauerim: Atque his de causis habuissem priùs vtrique vestrûm gratias,

gratias, quas debeo si istud facere tam mihi pro voto meo concessum fuisset, quàm diuersę occupationes non ita quidem illæ aut leues, aut paucæ mihi impedimento fuerunt, ne hoc apud vos munere defungi tempestiùs potuerim, verùm cùm in literis meis ad doctissimum Patinum satis superque tarditatis huiusce culpam in me nullam fuisse declarauerim, superest tantum, Borboni Clarissime, vt beneficij tui magnitudinem, quam nunc verbis conuenientibus exprimere non possum memoria colam sempiterna, tibíque pro certo persuadeam eiusmodi fore meum in te obsequium vt si qua in re opera mea tibi deinceps esse vsui possit, facilè quidem ex ea cognoscas te paucos admodum habere tui, quàm ego sim studiosio-

res & quod in te amando, colendóque modis omnibus præterquam vni Patino concedam nemini Vale, dabam Romæ 10. Kalendas Apriles 1639.

LXXXI.

Viro Maximo Fortunio Liceto.
Gabriel Naudæus S.P.D.

Patauium.

SCribo ad te, Fortuni Licete, magis quàm vellem festinanter ob negotia, quæ me sub meum ex vrbe discessum, quasi conjuratione quadam inter se facta premunt & circunstant. Quamobrem oro te primùm vt breuitatem literarum mearum boni consulas, deinde etiam moneo vt Eminentissimum Cardinalem legatum adeas recepturus ab eo exemplar illud Syntagmatis mei de studio Militari, quod vnà cum suo Bononiam,

noniam, vt tibi reddatur his proximè diebus elapsis deferendum curaui; hoc autem accepto pergratum mihi facies si illud non superficietenus euoluas; sanè judicium de illo tuum opperior, nec illud quidem velut ab Amico, sed sincerum, quod nihil gratiæ, aut beneuolentiæ, sed omnia veritati concedat, vellem pręterea vt cùm tibi commodum erit, certiorem me facias quomodo liber hic meus ab Academicis vestris exceptus fuerit, & quid mihi de Librarijs Bononiensibus polliceri debeo, quibuscum vellem, si fieri posset, aliquot eius exemplaria distrahere. Beueuoricius homo, ita me deus amet, in arte Medica nemini secundus, cùm nuper ad me scriberet mentionem quoque tui fecit prorsus egregiam, is to-

tus est in libris tuis, eorúmque non minùs varietatem quàm doctrinam miratur, denique habet te pro Oraculo, cuius de rebus dubijs responsa sciscitari nonnunquam velit, vno verbo non est illi quisquam te ipso carior, neque herculè dignior qui ab omnibus bonis & eruditis diligatur. Iam verò Lucubrationes tuæ quo in statu sunt; de omnibus profectò nominatim quærerem, nisi temporis angustiæ impedimento mihi forent, sed tuum erit qui plus otij nactus es, de singulis tamen respondere præsertímque de quæstionibus Peripateticis, quarum editioni vt diligenter incumbas non possum hîc denuò non te commonere majorem in modum: præterea commendo tibi negotium illud, quod tu mihi plurimum esse

esse cordi non ignoras, obtestórque fidem tuam vt Amici mei, quorum in eos res agitur ex officio tuo cognoscant quanta tecum & quàm veteri necessitudine sim conjunctus; atque sic putabam me facturum esse scribendi finem; verùm quia mihi in mentem venit non secus ac in acumen calami disputatio nuper habita cum amico quodam super verbis illis Aristotelis ex libro de diuinatione per somnium, *siquidem natura δαιμόνια non diuina est*, de qua sanè post varias altercationes nihil quod eius animo, aut meo satisfaceret definitum fuit, nolui propterea vt mihi velut è manibus elaberetur præsens occasio, tuam ea de re sententiam expiscandi, accipiendíque eruditissimo tuo calamo explicationem illius loci, quem per-

obſcurum eſſe nullus eſt Ariſtotelis Interpretum qui non apertè fateatur. Vale, pleniùs ex amœniſſimo receſſu Reatino ſcribam, has enim raptim effundo turbulentérque. Romæ pridie Kalendas Auguſti 1639.

LXXXII.

Illuſtriſſimo Comiti à Clara Valle Domino Gaſpari Scioppio, Viro Clariſſimo, Gabriel Naudæus S.P.D.

Patauium

MIraberis nec injuria quidem, Clariſſime Scioppi, quod ego qui nullas hactenus ad te dedi obſeruantiæ meæ teſtes literas, ea nunc occaſione aditum mihi patefieri cupiam ad fructum aliquem ex honeſtiſſima & ſuauiſſima neceſſitudine tua percipiendum, quæ mihi cùm majorem in modum triſtis & acerba fuerit, tum

tum verò tibi allatura etiam eſt moleſtię & doloris non minimum. Verùm quo me nihil aut in eiuſmodi materiæ delectu, aut in ſcriptionis mora peccaſſe conficiam, reputare imprimis pro æquitate tua debes nulla de re mihi ab octennio ſæpiùs in mentem veniſſe, quàm vt eorum exemplo, quos maxima tua & incredibilis doctrina tibi frequenter conciliat, beneuolentia tua non indignus habere, a qua nimirum haud ignorabam multum in me ſplendoris & exiſtimationis deriuatũ iri, ſed obfuit ſemper pudor quidam ſubruſticus, ne ego qui mihimet tenuitatis meæ ſum conſcius, auderem te virum capitalem multiſque nominibus ſuſpiciendum abſque legitima occaſione literis meis obtundere, veriuſquàm ad officium

mutuæ viciſſitudinis prouocare. Quamobrem colui te ſilentio & veneratione quandiu nihil erat præter encomia meritorum tuorum, quæ me præcone non indigent, de quo literas ad te ſcribere prætium operæ videretur. Et ſanè permanerem adhuc in ea ſententia niſi Reuerendi Patris Thomæ Campanellæ diceſſus ex hac vita, de quo me per proximum Tabellarium certiorem fecerunt Tubertus Ocella Pariſinus & Ælius Theodorus Lucenſis, ambo non minùs præſtanti rerum cogitatione, quàm fide & pietate in Campanellam ſpectabiles, tam ad te pertineret, qui propenſæ in illum voluntatis tuæ ſigna multoties dediſti, quàm ad me qui ab eo plurima quoque nec vulgaria cùm hîc Romæ degeret, & poſteaquàm in

Gallias

Gallias profectus est, mutui amoris testimonia non semel accepi: vnde nolui tibi fraudi esse beatissimum illum secessum, in quo nunc procul ab Aulis Principum, & tumultibus otiosorum hominum vitam degis feliciter & jucundè, quominùs multa planè cognosceres, quæ ad eius viri interitum attinent, cuius tu miserias dum in humanis ageret, & diuturni carceris tædium, vitámque & famam ac studia, tua non tantùm apud summos viros auctoritate, sed consilijs etiam atque opibus tuis non mediocriter subleuasti. Et verò beneficia hæc in hominem vel ingratum vel immemorem non fuisse a te collata tum demùm opinor manifestè constabit, cùm eius vitam, quæ musitatis omnino & mirificis casibus tota referta

est, ego vel quispiam alius, qui Campanellæ maximis virtutibus benè consultum esse velit, in apertum proferemus, tunc enim, Vir Clarissime, Neapolitanum iter, quod eius tantum inuisendi gratiâ susceptum a te fuit & colloquia de rebus grauissimis, quæ cum ipso per literas singulis fermè diebus habuisti, destinatáque ad eius lautiorem victum non mediocris nummûm aureorum summa libertas denique, quam vt ipsi redderes nullum non lapidem mouisti, partem eorum facient, quæ posterior ætas non sine ingenti stupore narrabit. Interim verò vt paucis accipias tantæ iacturæ, quam de Campanella fecimus modum, viuebat hic Lutetiæ in ædibus amplissimis, nullius rei, quæ ad vitam honestè traducendam necessaria foret,

foret, indigebat, Amicos habebat & fautores eruditionis suæ Vrbis illius, an Orbis dicam, Ciues primarios, Regi atque Reginæ supra modum acceptus erat, a quibus etiam Talentum, aut si more nostro loqui velimus, sexcentos aureos coronatos in stipendium annuum accipiebat, vocabatur in Aulam sæpissimè libros suos fermè omnes a tenebris & obliuione Typorum beneficio asseruerat, denique nihil eorum, quæ vitam faciunt beatiorem non supra votum accepisse videbatur, cùm morbo grauissimo, qui ab affecta se de Colicus dicitur, conflictari repente cœpit, adeǒque immanem eius cruciatum experiri, vt ab eius remissione, quæ non ante vigesimum diem contigit, licet quodammodo leuatus a maximis

angorib. videretur, non tamen eam in tuto esse Medicorum quisquam pronuntiare auderet maximè, cum eo rumore, qui sub id tēpus Parisiis increbuit de morte Federici Columnæ Ducis Paliani tam vehementer perculsum fuisse Campanellæ animum viderent vt tantum prostratus non esset desiderio perueteris illius & iuxta potentis amici. Quid plura? culpant etiam aliqui medicatæ potionis, quæ non ita consultò porrecta fuit noxias vires, & quasi non ætas ipsa, non morbus, non corporis vigor iam antea per varias cruces & tormenta exhaustus ad septuagenarium de ponte dejiciendum sufficerent, Medicina quoque non conscia modò, sed rea malorum eiusmodi facta est, quæ virum inter sæculi nostri portenta meritò refe-

referendum, quadam veluti lenta tabe, nec ipſi admodum moleſta conſumpſerunt octiduo priuſquam Reuerendus Pater Nicolaus Riccardus ſacri Palatij Apoſtolici Magiſter, cui ab eruditione ſingulari & mirifica dicendi facundia Monſtri cognomen a Philippo III. Hiſpaniarum Rege potentiſſimo inditum fuerat ἀποπληκτικὸς occumberet, hoc eſt ad 12. Kalendas Iunias, quo die tribus aut quatuor horis priuſquàm diluceſceret, tam placidè Campanella noſter animam ſuam purgatam antea more Chriſtiano munitámque Cœleſtibus auxiliis præpotenti Deo reddidit, vt qui præſentes aderant vix tandem conjicere potuerunt num hic ſomno detineretur temporali vel ſempiterno. Cæterùm cum interitus tanti viri

non poſſit eſſe bonis omnibus non ſummopere luctuoſus, tibi verò, mihique priuatis etiam de cauſis moleſtiſſimus exiſtat, plurima tamen ſunt, quæ mœrorem de illo conceptum imminuere poſſint ſi noſtrûm vterque tam libenter in ea reſpiciat, quàm anxiè eorum omnium, quæ vota noſtra fruſtrantur ſolemus rationem ſubducere, nam vt illud miſſum faciam quod Amici noſtri τοῦ μακαρίτου meus propè diuina admirabiliter ſe injiciebat, ac intendebat in immenſum, difficilia quæque peruadebat, rerum omnium, ſcientiarúmque ſecreta, æterna denique meditabatur & concupiſcebat, vt ea de cauſa non in rebus finitis, ſed in infinito quod ipſum eſt Numen Diuinum conquieſcere tantummodo potuerit; magni etiam fa-

ciun-

ciundum eſſe duco quòd plenus amorum & gloriæ interijt, quod lucubrationes, in quibus potiſſimum ingenij ſui neruos contenderat, editas omnes vidit, earúmque laudibus, quæ certè non mediocres fuerunt, nec ab hominibus mediocris ingenij præſens interfuit; quòd ſi quædam aliæ in pluteis relictæ ſunt, quæ nondum Typis deſcribi potuerunt eas vt omnium communes fiant prope diem curabit Ælius ille Theodorus Lucenſis, cuius, vt exiſtimo conteſtatæ in amicos ſuos omnes fidei concreditæ ſunt. Denique multùm etiam ſolatur me quod ab ipſomet Campanella notitias eiuſmodi habuerim, ex quibus quoties per otium licebit, hiſtoriam eius vitæ non ſtrictim attingere, aut lambendo tantùm, ſed

pleuè, fideliterque conſcribere poſſim. Atque hæc omnia cum mihi viderentur non parum inſeruire poſſe ad dolorem, quem de grauiſſimo illo caſu acerbiſſimum profectò concepi magna ex parte leuandum, exiſtimaui propterea ex officio meo fore tibi vt eadem etiam per literas communia fieri vellem, quo Medicinam quoque faciat priuatæ tuæ conſternationi & verò vt habeas etiam quod Amicis noſtris communibus, iiſdémque viris omni doctrinarum laude conſpicuis Rhodio, Veſlingio, Tomaſino, Cottuuio nec non Argolis & Ferrariis, qui omnes ſermonibus tuis frequenter intereſſe ſolent, téque velut Apollinem Palatinum inuiſere, de huius hominis ſupremo die referre poſſis, quem ſciunt omnes tibi, dum viue-

viueret, fuiſſe cariſſimum. Quemadmodum vice verſa Iouem lapidem iurare poſſum quod ipſe Campanella te vnum præ cæteris coluit veluti fautorem ſuæ dignitatis, teſtem vitæ, laudatorem doctrinæ, morúmque & innocentiæ vindicem idoneum, quibus titulis quàm ipſe tibi ſe deuinctum profiteretur, his quidem auribus frequenter audiui, teſtari autem in præſentia verbis ſatis efficacibus non poſſum. Itaque oro te etiam atque etiam, vir Clariſſime, vt Campanellam, quem tu propter inuſitatam boni eius ingenij, quod nihil intactum in artibus & ſcientiis reliquit, non fouiſti modò, ſed admiratus es, mortuum pariter commendare apud omnes, eúmque inter viros illos ἀφαντασιώτους quorum placitis rerum ma-

ximarum instauratio nostris temporibus debetur, connumerare non desinas; hoc enim prætterquam necessitudini, quæ inter vos peruetus & arctissima fuit, debetur, tum præclaro eiusmodi & illustri testimonio famam Campanellæ ab æmulorum calumniis *Quas acerbiores nullibi gentium, quàm hic vbi minimè conueniebat expertus est*, sartam tectámque conseruabis, imò verò tuæ pariter gloriæ & existimationi non minimùm prospicies, quandoquidem virtutis quanta vis sit, illi tantùm sciunt, qui continuis suis laboribus virtutem sunt assecuti; ignari verò Bambaliones aut Margitæ, quia non satis perspiciunt quantum in rebus omnibus tractandis doctrina, in explorandis iudicium, in rectè restituendis prudentia momenti

menti obtineat, non mirum est si in illorum hominum morte, qui dotibus istis præditi sunt, haud magis commoueantur, quam si ex ea res humanæ nullum damnum acciperent. Quod ego quia probè quam ipsa res secus se habeat intelligo & vsu ipso ac experientia quotidie deprehendo quàm mira sit talium virorum paucitas, eam ob rem si quis illorum interit, cum quo præsertim aliqua mihi necessitudo fuerat, istud pro eo ac debebam modestè fero, & si quis alius est, ex cuius familiaritate prioris illiùs Amici desiderium lenire possim, eum mihi adiungere modis omnibus contendo, vt quod mihi mors hoc erepto damnum intulerat gliscente veterum amore & nouorum numero resarciam. Quare cùm ab obitu Campanellæ

istud facere mihi in animo esset, tu profectò Clarissime Scioppi, vnus in paucis maximè omnium aptus occurristi, qui me hoc voto meo damnare posses humanitate, doctrina, iudicio, nominis celebritate, scribendi studio, multísque aliis virtutibus eximiis, quarum præstantiam non melius significare possim, quàm impensè flagitando vt me velut ipsarum admiratorem præcipuum, eius quoque honoris participem facias, qui ab earum splendore in Amicos tuos omnes redundare solet. Atque hoc beneficij in me tui genus quanti mihi putem esse faciendum, tum verò demum cognosces, cùm nihil erit tam arduum vel difficile, quod tua de causa libenter non exoluam, si modò periculum obsequij illius in me

in me tui facere velis, méque in Amicorum tuorum album referre, quod vt facias maiorem in modum abs te peto. Vale dabam Romæ 6. Nonas Iulias 1639.

LXXXIII.

Viro Maximo Fortunio Liceto.
Gabriel Naudæus S. P. D.

Patauium.

Cùm perendie Quæstionem absoluere cõstituerim, quam de vitæ hominum termino, certis de causis tractandam suscepi, non possum ea de causa pro more & instituto meo de multis tecum agere, Clarissime Liceti, sed quidquid habebam tibi scribere, totum istud in sequentem Tabellarium rejiciendum est, nisi forsan & ipse multò magis occupatum me offendat in eiusdem Quæstionis descriptione, quæ Typis Iosephi

Neuij Bibliopolæ Cæsenatis fieri debet, procuranda. Verùmtamen cùm ex fasciculò Cardinalis mei literæ quædam mihi hesterna die redditæ fuerint, in quibus iubet me cruditissimus noster Leo Allatius quærere a te rationem pulcerrimi Problematis, quod nuper sapientes Romanos maiorem in modum exercuit, visum est mihi rebus meis & temporis angustiis, quibus in pręsentia distineor longè meliùs consultum iri, si ipsasmet Allatij literas ad te mitterem, quàm si in meas quidquid ad genus istud Quæstionis attinet, transcribi curarem, præsertim cùm maximam insuper voluptatem capere possis ex naturali illo, non autem fucato nitore sermonis, quo vir optimus non solùm ingentem doctrinæ reconditioris copiam explicuit, sed

vtriusque nostrûm commendationem tam amanter prosecutus est, vt licet in me nihil eorum, quæ mihi affingit simile reperiam, non possim tamen illum de hac egregia in me voluntate non amare plurimum, sed penè iam me fugerat quod inprimis tibi scribendum esse duxi, nimirum vt Allatio non autem mihi de hac Quæstione respondeas, simúlque excusatum me apud illum habeas quod ego nihil dum ei rescripserim propter meas & quidem probè tibi cognitas occupationes, quibus me statim atque paululum laxaro, tùm sanè non committâm vt me negligentiæ, atque adeò tarditatis, siue tu, Vir Clarissime, siue Leo noster accusare merito possitis. Vale, Slingelandus è Puteani Schola & familia Aulicus noster

valde disertus interuenit cùm Epistolam hanc obsignare vellem, tibique salutem, vt scriberem suis verbis, plurimùm rogauit. Dabam Ceruiæ in Flaminia 18. Kalendas Ianuarias 1639.

LXXXIV.

D. Ioanni Beuerouicio Medico & Senatori Dordrechtano amplissimo Consultissimóque,
Gabriel Naudæus S. P. D.

Dordracum

CVm literæ tuæ omnes mihi semper gratissimæ fuerint, Beueuorici Senator Amplissime, tum verò postremæ eò etiam gratiores extiterunt, quod dubitâtem me vehementer ne Quæstio mea Iatrophilologica tibi pro voto meo reddita fuisset, non tâtùm hoc metu liberârunt, sed præterea certiorem etiam fecerunt de proxima

ma eius, typis, vt puto, Elezeuirianis descriptione, quod omnino fuit supra votum. Quare ago tibi gratias, quas debeo de tam prolixa tuæ in me voluntatis significatione, etsi referre possim officijs, quæ tuorum magnitudinem Animo meo non accedisse testari possint, tam confidenter ipsa mihi imperare potes, quam ego libenter operam meam in omnibus commendabo, quæ ad te vel Amicos tuos attinere cognoscam. Et verò gaudebam supra modum oblatam mihi esse pulcerimam occasionem istud in illo iuuene populari tuo faciendi, quem tu mihi commendatum in vltimis tuis esse volueras; sed cùm is nescio quibus de causis Patauij ampliùs sibi commorandum esse duxerit, & literas tuas alteras alteri cui-

dam Amico suo commiserit, mihi vt quàm citissimè redderentur, feci quidem vt hic officium meum non desideraret, sed multò magis voluissem alterum, qui tibi conjunctior erat, beneficijs eiusmodi demereri, ex quibus intelligere facili negotio potuisset quantum habeat auctoritatis apud me tua, vir doctissime, commendatio. Cæterùm elegantissimi Poëtæ Boij versus & eam simul Epistolæ tuæ partem, quam jusseras optimo Patri Famiano Stradæ communicaui, atque his encomijs quàm mirificè delectatus fuerit, vos ex communi Auctorum genio quibus cornea fibra non est laudari vt metuant maximè a viris laudatissimis & quorum censorias notas reformidare potiùs debuissent, meliùs intelligere potestis, quàm ego

ego sermone quantumvis accurato & copioso exprimere, profectò non desinit ipse humanitatem vestram admirari, probitatem commendare, ingenuitatem, fidémque verè Batauam amplecti, & cùm tot laudatores historiæ suæ, quot lectores habeat, vobis tamen ambobus nullos ipsi gratiores, aut acceptiores fuisse iurare possem. Et herclè si manus eius tam libera quàm animus foret, non dubito quin literis suis gratias de tam honorifico & illustri testimonio vobis haberet amplissimas: Interim verò vt istud suis verbis cumulatissimè faciam rogauit; ac si quid imposterum erit in historia ducis Carmensis quam duabus alijs decadibus absoluere contendit, in quo opera vestra indigeat, quominus ea pro libertate, quam ipsi

eciſtis, vtatur, nullo obice retardatum hunc, aut præpeditum iri confido, eſt enim vir admodum ingenuus, liber, & veritatis hiſtoricæ ſeruantiſſimus, a qua ipſum non Sectarum diuerſitas, non partium odia, non ipſamet, cui nomen dedit ſocietas, vel latum vnguem, vt mihi verbis expreſſis teſtatus eſt, dimouere poſſint, verſatur nunc in idea tua Medicinæ veterum & in elegantiſſima diſſertatione de Calculo, quas ipſe, vt propiùs te noſceret, & meliùs videre concupiuit, multa etiam de Boijo tuo, eodémque meo percunctatus eſt, in cuius Epigrammate cæteroquin elaboratiſſimo non ſatis ob vocum aliquot lituram quid ſibi vellet hemiſtichium prius in verſu nono intelligere potuimus. In ſumma tã benè Famiano

no nostro cum vobis conuenit vt nihil majus in votis habeat quàm vestram in se nouam atque incredibilem comitatem pari in vos propensione voluntatis quoties dabitur occasio compensare. De Syntagmate Comitum Guiddiorum, quod monebas mentionem illius a te factam fuisse in capite de Pudicitia, rem planè fecisti non mihi tantùm, sed Eminentissimo Cardinali meo gratissimam, cui tu magis forsan quàm tibimet ipsi persuaseris cognitus jam pridem ex librorum tuorum præstantia. Denique quidquid de Gualdrada nostra dixeris, curabo ne indictum mihi sit quoties eius, ac Guiddiorum historiam tam amico & laudabili testimonio fulcire per otij mei rationem erit concessum. Licetus noster donabit te prope-

ximarum instauratio nostris temporibus debetur, connumerare non desinas; hoc enim præterquam necessitudini, quæ inter vos peruetus & arctissima fuit, debetur, tum præclaro eiusmodi & illustri testimonio famam Campanellæ ab æmulorum calumniis *Quas acerbiores nullibi gentium, quàm hic vbi minimè conueniebat expertus est*, sartam tectámque conseruabis, imò verò tuæ pariter gloriæ & existimationi non minimùm prospicies, quandoquidem virtutis quanta vis sit, illi tantùm sciunt, qui continuis suis laboribus virtutem sunt assecuti; ignari verò Bambaliones aut Margitæ, quia non satis perspiciunt quantum in rebus omnibus tractandis doctrina, in explorandis iudicium, in rectè restituendis prudentia momenti

menti obtineat, non mirum eſt ſi in illorum hominum morte, qui dotibus iſtis præditi ſunt, haud magis commoueantur, quam ſi ex ea res humanæ nullum damnum acciperent. Quod ego quia probè quam ipſa res ſecus ſe habeat intelligo & vſu ipſo ac experientia quotidie deprehendo quàm mira ſit talium virorum paucitas, eam ob rem ſi quis illorum interit, cum quo præſertim aliqua mihi neceſſitudo fuerat, iſtud pro eo ac debebam modeſtè fero, & ſi quis alius eſt, ex cuius familiaritate prioris illiùs Amici deſiderium lenire poſſim, eum mihi adiungere modis omnibus contendo, vt quod mihi mors hoc erepto damnum intulerat gliſcente veterum amore & nouorum numero reſarciam. Quare cùm ab obitu Campanellæ

istud facere mihi in animo esset, tu profectò Clarissime Scioppi, vnus in paucis maximè omnium aptus occurristi, qui me hoc voto meo damnare posses humanitate, doctrina, iudicio, nominis celebritate, scribendi studio, multísque aliis virtutibus eximiis, quarum præstantiam non melius significare possim, quàm impensè flagitando vt me velut ipsarum admiratorem præcipuum, eius quoque honoris participem facias, qui ab earum splendore in Amicos tuos omnes redundare solet. Atque hoc beneficij in me tui genus quanti mihi putem esse faciendum, tum verò demum cognosces, cùm nihil erit tam arduum vel difficile, quod tua de causa libenter non exoluam, si modò periculum obsequij illius

in me

in me tui facere velis, méque in Amicorum tuorum album referre, quod vt facias maiorem in modum abs te peto. Valé dabam Romæ 6. Nonas Iulias 1639.

LXXXIII.

Viro Maximo Fortunio Liceto.
Gabriel Naudæus S. P. D.

Patauium.

Cùm perendie Quæstionem absoluere cõstituerim, quam de vitæ hominum termino, certis de causis tractandam suscepi, non possum ea de causa pro more & instituto meo de multis tecum agere, Clarissime Liceti, sed quidquid habebam tibi scribere, totum istud in sequentem Tabellarium rejiciendum est, nisi forsan & ipse multò magis occupatum me offendat in eiusdem Quæstionis descriptione, quæ Typis Iosephi

Neuij Bibliopolæ Cæsenatis fieri debet, procuranda. Verùmtamen cùm ex fasciculò Cardinalis mei literæ quædam mihi hesterna die redditæ fuerint, in quibus iubet me eruditissimus noster Leo Allatius quærere a te rationem pulcerrimi Problematis, quod nuper sapientes Romanos maiorem in modum exercuit, visum est mihi rebus meis & temporis angustiis, quibus in præsentia distineor longè meliùs consultum iri, si ipsasmet Allatij literas ad te mitterem, quàm si in meas quidquid ad genus istud Quæstionis attinet, transcribi curarem, præsertim cùm maximam insuper voluptatem capere possis ex naturali illo, non autem fucato nitore sermonis, quo vir optimus non solùm ingentem doctrinæ reconditioris copiam explicuit, sed

vtriusque nostrûm commendationem tam amanter prosecutus est, vt licet in me nihil eorum, quæ mihi affingit simile reperiam, non possim tamen illum de hac egregia in me voluntate non amare plurimum, sed penè iam me fugerat quod inprimis tibi scribendum esse duxi, nimirum vt Allatio non autem mihi de hac Quæstione respondeas, simúlque excusatum me apud illum habeas quod ego nihil dum ei rescripserim propter meas & quidem probè tibi cognitas occupationes, quibus me statim atque paululum laxaro, tum sanè non committâm vt me negligentiæ, atque adeò tarditatis, siue tu, Vir Clarissime, siue Leo noster accusare merito possitis. Vale, Slingelandus è Puteani Schola & familia Aulicus noster

valde disertus interuenit cùm Epistolam hanc obsignare vellem, tibique salutem, vt scriberem suis verbis, plurimùm rogauit. Dabam Ceruiæ in Flaminia 18. Kalendas Ianuarias 1639.

LXXXIV.

D. Ioanni Beuerouicio Medico & Senatori Dordrechtano amplissimo Consultissimóque,
Gabriel Naudæus S. P. D.

Dordracum

CVm literæ tuæ omnes mihi semper gratissimæ fuerint, Beueuorici Senator Amplissime, tum verò postremæ eò etiam gratiores extiterunt, quod dubitátem me vehementer ne Quæstio mea Iatrophilologica tibi pro voto meo reddita fuisset, non tátùm hoc metu liberárunt, sed præterea certiorem etiam fecerunt de proxi-

ma eius, typis, vt puto, Elezeuirianis descriptione, quod omnino fuit supra votum. Quare ago tibi gratias, quas debeo de tam prolixa tuæ in me voluntatis significatione, etsi referre possim officijs, quæ tuorum magnitudinem Animo meo non accedisse testari possint, tam confidenter ipsa mihi imperare potes, quam ego libenter operam meam in omnibus commendabo, quæ ad te vel Amicos tuos attinere cognoscam. Et verò gaudebam supra modum oblatam mihi esse pulcerimam occasionem istud in illo iuuene populari tuo faciendi, quem tu mihi commendatum in vltimis tuis esse volueras; sed cùm is nescio quibus de causis Patauij ampliùs sibi commorandum esse duxerit, & literas tuas alteras alteri cui-

dam Amico suo commiserit, mihi vt quàm citissimè redderentur, feci quidem vt hic officium meum non desideraret, sed multò magis voluissem alterum, qui tibi conjunctior erat, beneficijs eiusmodi demereri, ex quibus intelligere facili negotio potuisset quantum habeat auctoritatis apud me tua, vir doctissime, commendatio. Cæterùm elegantissimi Poëtæ Boij versus & eam simul Epistolæ tuæ partem, quam jusseras optimo Patri Famiano Stradæ communicaui, atque his encomijs quàm mirificè delectatus fuerit, vos ex communi Auctorum genio quibus cornea fibra non est laudari vt metuant màximè a viris laudatissimis & quorum censorias notas reformidare potiùs debuissent, meliùs intelligere potestis, quàm ego

ego ſermone quantumvis accurato & copioſo exprimere, profectò non deſinit ipſe humanitatem veſtram admirari, probitatem commendare, ingenuitatem, fidémque verè Batauam amplecti, & cùm tot laudatores hiſtoriæ ſuæ, quot lectores habeat, vobis tamen ambobus nullos ipſi gratiores, aut acceptiores fuiſſe jurare poſſem. Et herclè ſi manus eius tam libera quàm animus foret, non dubito quin literis ſuis gratias de tam honorifico & illuſtri teſtimonio vobis haberet ampliſſimas: Interim verò vt iſtud ſuis verbis cumulatiſſimè faciam rogauit; ac ſi quid impoſterum erit in hiſtoria ducis Carmenſis quam duabus alijs decadibus abſoluere contendit, in quo opera veſtra indigeat, quominus ea pro libertate, quam ipſi

no nostro cum vobis conuenit vt nihil majus in votis habeat quàm vestram in se nouam atque incredibilem comitatem pari in vos propensione voluntatis quoties dabitur occasio compensare. De Syntagmate Comitum Guiddiorum, quod monebas mentionem illius a te factam fuisse in capite de Pudicitia, rem planè fecisti non mihi tantùm, sed Eminentissimo Cardinali meo gratissimam, cui tu magis forsan quàm tibimet ipsi persuaseris cognitus jam pridem ex librorum tuorum præstantia. Denique quidquid de Gualdrada nostra dixeris, curabo ne indictum mihi sit quoties eius, ac Guiddiorum historiam tam amico & laudabili testimonio fulcire per otij mei rationem erit concessum. Licetus noster donabit te prope-

diem vno atque altero volumine Lucubrationum suarum, quas paucis antę diebus Typis describere cœpit, Interim verò salutat te amantissimè. De Salmasio tuo nollem verum esse rumorem, qui hîc disseminatus est, nempe quòd desperata sit valetudine, dij meliora quàm vt Campanellæ meo comes additus fuerit. Tu verò ne quid etiam tua de causa nobis dolendum sit caue sedulò & Vale. Dabam Romæ pridie Kalendas Iulias 1639.

LXXXV.

Antonio Santorello, Philosopho & Medico clarissimo,
Gabriel Naudæus S. P. D.

Neapolim

DVdum est, Santorelle Doctissime, quod habebam te in eorum virorum numero, quos

tacitus colere, etsi commoda aliqua detur occasio, literis quoque meis interpellare nõnunquam soleo; cuius consilij mei rationem si aliquam apud te constare velis, hanc imprimis efferre possem, quæ vel per se sola satis erat vt tui memoriam perpetuò mihi colendam esse arbitrarer, nimirum τȣ̃ μακαρίτȣ nostri Petri Lasenæ frequens apud me de tuis præclaris & singularibus in Rempublicam literariam meritis commemoratio; Etenim cùm homo ille, quem multis de causis non amaui modò dum viueret, sed suspexi maiorem in modum, arctissima tecum necessitudine conjungi voluerit, ego verò quàm purgatum esset illius, vt in rebus cæteris, sic in Amicorum delectu judicium non ignorarem, profectò non debui etiam

diem vno atque altero volumine Lucubrationum suarum, quas paucis antę diebus Typis describere cœpit, Interim verò salutat te amantissimè. De Salmasio tuo nollem verum esse rumorem, qui hîc disseminatus est, nempe quòd desperata sit valetudine, dij meliora quàm vt Campanellæ meo comes additus fuerit. Tu verò ne quid etiam tua de causa nobis dolendum sit caue sedulò & Vale. Dabam Romæ pridie Kalendas Iulias 1639.

LXXXV.

Antonio Santorello, Philosopho & Medico clarissimo,
Gabriel Naudæus S. P. D.

Neapolim

DVdum est, Santorelle Doctissime, quod habebam te in eorum virorum numero, quos tacitus

tacitus colere, etsi commoda aliqua detur occasio, literis quoque meis interpellare nonnunquam soleo; cuius consilij mei rationem si aliquam apud te constare velis, hanc imprimis efferre possem, quæ vel per se sola satis erat vt tui memoriam perpetuò mihi colendam esse arbitrarer, nimirum τοῦ μακαρίτου nostri Petri Lasenæ frequens apud me de tuis præclaris & singularibus in Rempublicam literariam meritis commemoratio; Etenim cùm homo ille, quem multis de causis non amaui modò dum viueret, sed suspexi maiorem in modum, arctissima tecum necessitudine conjungi voluerit, ego verò quàm purgatum esset illius, vt in rebus cæteris, sic in Amicorum delectu judicium non ignorarem, profectò non debui etiam

alienum a me ducere quod ſuum eſſet, & quod ipſe carum in paucis haberet, non vehementer amare, verùm præter hanc cauſam acceſſit alia, quæ apud me cùm potiſſima fuit, vt hanc animi erga te mei propenſionem officio aliquo declararem Antepraxis ſcilicet Medica & aliæ elucubrationes tuæ, quas poſtquam ſemel euoluere mihi contigit, non potui, mihi crede, non vehementi deſiderio percelli familiaritatis alicuius tecum ineundæ, nam vt ineptos homines & nugaces, qui propter hæſitantiam linguæ, ſtuporémque cordis, nihil vnquam ſanè loquuntur, aut faciunt odio, quod inquiunt, pluſquam Vatiniano proſequi, & modis omnibus laceſſere conſueſco, ita ex contrario viros ſapientes, modeſtos, ac-

curatos,

curatos, nec minus à verborum barbarie quàm rerum ignoratione remotos, qui nihil de popularibus lacunis hauriunt, nihil in sua scripta ex vetularum deliramentis conuehunt, non bibulas aures præbent tot inconsideratis & ridiculis narrationibus, quæ Medicinam, Artésque reliquas deturpant; cuiusmodi te vnum esse maxima mea cum voluptate deprehendi, hos inquam tui similes viros amplecti, laudare, & velut è Cœlo delapsos tantùm non adorare, consuetudinis atque instituti mei semper fuit. Quamobrem nolui committere vt oblata mihi occasio peropportuna de manibus elaberetur offerendi tibi exemplar vnum Syntagmatis mei de studio Militari, quod industria forsan & eruditione trita, sed dili-
gentia

gentia non item vulgari elaboratum à me fuisse deprehendes, siquidem adhibui prorsus incredibilem, ne vulgi cantilenis & opinionibus diuersis, quæ suspensos hactenus detinuerant hominum etiam eruditiorum animos, aliquid tribuerem, quod æque bene cum veritate ipsa non conueniret; hoc autem non pro voto meo consequutus fuerim, tum demum intelligam si tibi, Vir doctissime, qui mihi solus pro millibus aliis esse potes, tota hæc Tractatio mea non displicuerit, quanquam vtcumque minùs arrideat; iucundissimum mihi semper erit, si tu, quid in ipsa peccauerim, certiorem me facere non recuses, quoniam amicitia nostra iniri magis auspicatò non potest quàm si ab ipsismet eius primordiis libera sit,

& ab

& ab inani quadam, mutuáque laudum viciſſitudine remota, maximè cùm ego tam præclarè de tua non modò eruditione,ſed modeſtia, ſentiam, vt magnificentiùs nemo poſſit,non magis cupiam te in amicum, quàm in Cenſorem Scriptorum meorum habere, quamuis vtrumque profectò tam impensè deſiderem vt nihil magis. Et ſanè poſtquam Syntagma illud meum,vel ea tantùm de cauſa quòd ab homine, tui amantiſſimo venit,gratum tibi atque acceptum fuiſſe reſciuerim, tum demum curabo diligenter vt aliud Syntagma de ſtudio Liberali, quod ante ſexennium elaboraui, & reliqua opera mea, quæ variis hucvſque in locis edita ſunt, tuas in manus perueniant, neque profectò committam vt obſequium

meum deſiderare poſſis, ſi eo aliqua in re alia tibi opus fuerit, quam hic per me, aut alibi per Amicos meos facere poſſim; hoc enim vt eximia doctrina tua & probitas, ſic mea in præclaros omnes & ſapientes viros, ac in te potiſſimum, quem bonæ mentis ſtudium mihi conciliat perpetua, conſtánſque voluntas poſtulant, quam à te pari in me affectu compenſatam iri nullus dubito. Vale dabam Romæ 5. Idus Iulij 1639.

LXXXVI.

Domino Iacobo Gaddio, Patricio Florentino.
Gabriel Naudæus S.P.D.

Florentiam.

ADeo illuſtris & peruagata eſt, Iacobe Gaddi, vir clariſſime, non mòdò eruditionis, ſed eloquentiæ tuæ fama inter viros

omnes, qui Musis operam nauare consueuerunt, vt qui earum templa vel a limine tantum salutarint, non possint quoque nominis tui celebritatem ignorare. Ac sanè cùm ego primùm Romam velùt ad mercatum bonarum artium cum Eminentissimo Cardinale meo veni, hominésque liberaliter Eruditos Ioannem Baptistam Donium, Leonem Allatium, Mascardum, cæterósque in Vrbe æterna Literarum Præsides Genios ex officio meo salutaui, tum verò ex ipsorum sermonibas intellexi quàm ipsi magnificè de te sentirent, & gauisus sum maximopere me non ea opinione falli, quam multum antea de præclaris tuis & incomparabilibus meritis conceperam: Vnde cùm nulla mihi in studiorum meorum ratione volu-

ptas jucundior exiſtat ea ipſa, quam ex magnorum virorum familiaribus colloquiis percipere conſueui; ea de cauſa ſtatueram apud me, octennium eſt & ampliùs, rogare te per literas ne me indignum haberes, qui doctiſſimis tuis aliquoties intereſſe poſſem. Verùm quominus voto hoc meo damnari potuerim multa fecerunt, & obſtitit imprimis abſentia Mœcenatis mei in Vrbe, quem dum in Flaminiam & Vmbriam ſequor, non potui pro eo ac debebam officio aliquo propenſionem hanc in te meam declarare. Et herclè cùm primùm mihi optata quiete perfrui conceſſum eſt, noluì committere vt aliquid potiori loco haberem, quàm te pro veteri meo deſiderio ſalutare, & iis muneribus proſequi, quæ fortunæ & condi-

conditionis meæ hominem decent, nimirum libellis quibusdam meis, quorum fasciculum Eruditissimo Medico Baldo Baldio cùm nuper Florentiam cogitaret, tibi deferendum commisi. Sed tu, Vir Doctissime, tantum abest vt muneris tenuitate offensus fueris, quod illud maiorem in modum laudasti & tanta comitate, támque insigni beneuolentia offerentis animum complexus es, vt cùm antea doctrinam & eloquentiam tuam admirarer, núnc etiam humanitatis ac vrbanitatis tuæ vim maximam celebrare pre merito satis non possim. Imò verò cùm diligenter postea curaueris mihi vt Elogiographus tuus redderetur, eo me in præsentia adductum esse video, vt non possim & morum tuorum excellentia absque

præiudicio aliquo facundiæ & eruditionis tuæ pronuntiare, adeò scilicet vtraque in hoc opere partes suas sibi vendicat vt rerum cognitio & varietas argumentorum cùm per se gratissima sit, multum adhuc splendoris accipiat ex sermone puro, castigatóque, qui tibi inter Antiquitatum rudera versanti, mirum quàm facilis & æqualis effluat, hoc verò tanto gratior & iucundior existat quòd multarum & pulcerrimarum obseruationum mole sit grauidus, qua felici mentis & linguæ, sensuum & verborum coniunctione videris mihi carissime Gaddi tantum honoris adeptus, vt quemadmodum humanitate cæteros hactenus vicisti, sic facundia illa, quæ elogiorum propria est, nemini fermè concedas, palmámq; feras in vtro-
que

que etsi valde diuerso scribendi genere valde lemniscatam. Quod ego tibi plurimùm ex animo gratulor; atque Syntagma meum de studio Militari, sicut ante fueram pollicitus in istius gaudij & obsequij mei signum, simúlque in eximij tui muneris hostimentum, qualecumque tandem illud sit, tibi per Amatorium nostrum mitto, non tam profectò vt aliquid in eo discas, quàm vt errata mihi commonstres mea, marginémque obelis tuis exares, quandoquidem aliud omnino nihil est quo me tibi iam multis nominibus deuinctum, iterum multóque magis deuincire possis. Vale dabam Romæ 3. Idus Iulias 1639.

LXXXVII.

Paganino Gaudentio Viro Clarissimo, Gabriel Naudæus S.P.D.

Pisas

NOn putaui mihi vllo modo committendum esse, Paganine Gaudenti, vt Syntagma de studio Militari, quod Amatorius noster tibi propediem reddendum curabit sine meis ad te literis proficisceretur, nam licet ipsarum vicissitudo facere non possit vt librum hunc meum arctiùs complectare quàm alios jam fecisti, qui nuper a me tibi transmissi fuerunt, quandoquidem ita cum illis te gessisti, vt meliùs ac præstantiùs nemo possit, volui tamen si non humanitatis tuæ, quæ summa profectò & nullius officij mei indiga est, ac necessitudinis saltem, quam tecum per frequentes literas

ras inire decreui, rationem habere. Et ſanè cùm prioribus meis tam benignè peramantérque reſponderis, vt propenſæ in me voluntati tuæ nulla mihi prorſus videatur fieri poſſe acceſſio, facerem omnino periniquè ſi de illa gratias tibi non haberem quas debeo, & quidni etiam inconſultè ſi otiari ſinerem calamum tuum, adeò delicatè temperatum in tua ſimul & Amicorum tuorum commoda, vt nullum ipſorum non cumulare maxima gloria ſolitus ſit. Verùm præter has cauſas, quæ me non difficulter induxerunt vt vnà cum Syntagmate meo literas ad te darem, acceſſit alia, quæ me iſtud vt facerem per ſe ſola impellere potuiſſet, etenim cùm aliqui ſint partim Amici mei, etſi quidem non mediocriter eruditi,

partim etiam Aulici, quidam & mihi tantùm de facie noti homines, qui mihi persuadere conentur multa esse in hoc opere Militari propter quæ lectionis eius pœnitere quenquam non debeat. Horum verò judicium, quia sæpiùs cum imperitia aut adulatione conjunctum est, illorum etiam, quia potiùs ab amore, quàm ipsa varietate profectum æquè mihi suspectum sit, cogitaui propterea negotium istud tibi committere tanquam judici maximè omnium idoneo, & cui nihil omninò desit eorum, quæ necessaria sunt ad rectè sapientérque de re aliqua pronunciandum; nam quod ad necessitudinem illam attinet, quæ mihi tecum paucis ante diebus suscepta est, persuasum equidem habeo tam sanctè, inuiolabilitér-

que

que illam a te coli vt mihi verendum non ſit ne illius officia labefactet adulationis alicuius ſuſpicio, in eruditorum autem hominum cenſu ineundo, qui præclaris ſuis laboribus temporis noſtri felicitatem promouent, quanti ſemper ab omnibus fieri conſueueris, ſi quis eſt qui neſciat, is herclè videtur mihi in maxima rerum notiſſimarum ignoratione verſari, cùm ſiue voce qua de pulpito ſoluis & explicas auditoribus tuis reconditiſſimas in omni pene Scientiarum genere difficultates, ſiue ſcriptis tuis, quorum certè maxima copia & incredibilis eſt varietas, illud demum conſecutus ſis, vt quemadmodum nomen tuum paſſim legitur, frequentérque in hominum manus incurrit, ſic doctrina tua & expedita fa-

partim etiam Aulici quidam & mihi tantùm de facie noti homines, qui mihi persuadere conentur multa esse in hoc opere Militari propter quæ lectionis eius pœnitere quenquam non debeat. Horum verò judicium, quia sæpiùs cum imperitia aut adulatione conjunctum est, illorum etiam, quia potiùs ab amore, quàm ipsa varietate profectum æquè mihi suspectum sit, cogitaui propterea negotium istud tibi committere tanquam judici maximè omnium idoneo, & cui nihil omninò desit eorum, quæ necessaria sunt ad rectè sapientérque de re aliqua pronunciandum; nam quod ad necessitudinem illam attinet, quæ mihi tecum paucis ante diebus suscepta est, persuasum equidem habeo tam sanctè, inuiolabilitér-

que

que illam a te coli vt mihi verendum non sit ne illius officia labefactet adulationis alicuius suspicio, in eruditorum autem hominum censu ineundo, qui præclaris suis laboribus temporis nostri felicitatem promouent, quanti semper ab omnibus fieri consueueris, si quis est qui nesciat, is herclè videtur mihi in maxima rerum notissimarum ignoratione versari, cùm siue voce qua de pulpito soluis & explicas auditoribus tuis reconditissimas in omni pene Scientiarum genere difficultates, siue scriptis tuis, quorum certè maxima copia & incredibilis est varietas, illud demum consecutus sis, vt quemadmodum nomen tuum passim legitur, frequentérque in hominum manus incurrit, sic doctrina tua & expedita fa-

cundia, qua cæteros omnes, qui populari fama celebrantur longo post te relinquis interuallo, nemini non perspecta atque explorata esse possit. Quoniam igitur plurimum ijs Artibus vales, a quibus perfecta intelligendi ac judicandi ratio manat; putaui me nihil inconsultè facturum si a te contéderem vt pro candere etiam illo, qui in te ad miraculum vsque singularis est, librum hunc meum de studio Militari excutere velis non minùs accuratè, diligentérque quàm liberè, sic enim & officio tuo planè & voto pariter meo satisfacies, cùm mihi a te bona verba dari non postulem, sed vera, nec tam hastas aut armillas referre cupiam in signum bene nauatæ operæ, quàm vitem tuam æquo animo subire non recuso modò tamen

Si lentis pigra muniui castra Dolabra,

men ipsam, quæ tua forsan erit humanitas in caput meum frangere non recuses, ac in summa quocunque censura tua se verterit, lubentiùs semper in tuo, vir doctissime, quàm in cuiusquam alterius Palæmonis aut Aristarchi judicio conquiescam, fructúmque laboris istius mei percipiam vberrimum, si huic vtcumque obelis tuis transfixus & amicè castigatus fuerit, tibi non propterea displicuisse intellexero. Cæterùm quoniam hîc admirabilis quædam concitata est de studijs tuis expectatio, multi qui priùs ad Leonem Allatium adire solebant, cùm de rebus tuis scire quidquam vellent, nunc etiam a me, quem ex sermonibus meis eximia sæpe tua

cum laude habitis tibi Amicum esse deprehendunt, ecquid non parturiat ingenium tuum peracre, viuidúmque frequenter postulant, quibus etsi fidem facere possim non illud otio torpere, vellem tamen super humanitatem tuam liceret aliquid ad te de tuis lucubrationibus audire, quo vota ipsorum cumulare magis ex animo possem. De meis autem si quæras, verbo dicam aut nullas esse propter occupationes quas Aula non tam graues quidem illas, quàm multas suppeditat, aut sanè non eiusmodi vt magnam de te expectationem concitare possint. Quare bona cum tua venia abstinebo illis commemorandis, euitárque potiùs omni opera vt cæteris in rebus quibuscunque potero, tibi plenissimè

nissimè satisfaciam. Vale. Dabam Romæ pridie Idus Iulij 1639.

LXXXVIII.

Eidem.

NEscio profectò, Paganine Gaudenti, quænam Musarum tantam animo tuo facundiam indidit, vt oblata qualibet occasione dicendi, modò ipsa tibi non indigna videatur, quam cultissimis sermonibus tuis exornandam suscipias, non minùs in ea promptè, felicitérque tractanda te geras, quàm re contrario reliquos homines videmus, quibus bonarum etiam literarum studia cordi sunt, vix vnquam ad scribendum lubentes accedere. Et sanè vt de me ipso potiusquàm de cæteris dicam; licet omnibus Musis & ipsimet Præsidi nitidæ, castigatæque

præclaram totis viribus conse-ctantes, ipsam tamen assequi sine sua aut fortunæ potiùs culpa minimè potuerunt. Quamobrem facies, vir clarissime, pro tua singulari humanitate conuenienter, simúlque non minimum verecundiæ meæ consulueris, si me qui nunquam absque titubatione aliqua Latinè scribo patienter feras binis tuis posterioribus Literis eam nunc tantummodò responsionem dare, quæ nec animum in te meum, nec liquidissimæ voluptatis sensum, quem ex tua de me, & Syntagmate meo de studio Militari tam luculenta, & mirifica testificatione percepi, satis pro eo ac vellem & debeo exprimat; Maximè cùm non contentus de me prædicare in eruditorum circulis, participem quoque me fa-

tias tibi habere, quas egregia hæc & officiosa de me opinio tua meretur pro ingenij mei tenuitate valeam Euandrum Regem illum imitari,qui Æneam humili ac stramineo excepturus hospitio satis habuit inopiam profiteri suam & præclarum Ducem exhortari vt diuitias illas minimè requireret, quarum intra mapalia hæc & turiola nullam esset copiam inuenturus. Interim verò quoniam sentio me indies non mediocrem ex operibus tuis eruditissimis fructum percipere, nullum hactenus lapidem non moui, quo habere possem in Musæo meo & manibus quotidie tractare quæcumque hactenus in publicam lucem a te tam numeris adstricta quàm oratione prorsus soluta edita sunt,adeóque non pœnitendum in ea re labo-

rem videor mihi impendisse vt pauca meo quidem iudicio supersint, quorum desiderio macerari debeam; nam præter varios discursus habitos communi Italorum lingua in Academia disiunctorum, & Appendicem de cauponibus famæ, ac orationes, chartásque palantes, quæ omnia veluti studiorum tuorum excursus, ludósque & amœnitates ingenij tui continent, habeo insuper grauioris operæ testimonia de dogmatibus veteris Ecclesiæ binis voluminibus comprehensa; velitationes in Chamieri Panstratiam, Expositiones Iuridicas cum additamento Critico, ac denique librum vnum & alterum de Iustinianæi sæculi moribus, Opusculum item de Prodigiis, & obstetricem literariam, ac epigrammata noua, quibus si

nun me fallit Amatoris noſtri, viri quantum ex creberrimis eius officiis conjicere poſſim valde probæ fidei prælo me additurum ſpero comparationem Dogmatum Origenis cum Philoſophia Platonis & Salebras Tertullianeas de vita Chriſtianorum ante tempora Conſtantini; nam quod attinet ad deambulationes Peripateticas, facis tu quidem Paganine, vt hunc tuum fœtum tam breui proditurum in lucem, quam ego & Allatius noſter, cæterique homines ſtudioſi vellent, in animum meum non inducam. Cæterùm quoniam Eminentiſſimus Cardinalis, Dominus meus, idémque tibi ac meritis tuis non minimùm addictus frequenter ex me quærit num editus aliquando fuerit liber tuus de Aſylis, cuius non ſemel in aliis

Operibus tuis mentionem fieri viderat, oro te, vir præclarissime, vt certiorem me facias, cùm de hoc ipso, tum & omnibus aliis, quos in hunc Iudicem non retuli; hoc enim modo præter quàm studiorum meorum conatus promouebis maiorem in modum, tum verò facies rem & beneuolentia tua, quæ summa est, & amicitia, quam tecum sanctissimis de causis inire volui, haud indignam. Vale & eadem confidentia qua tecum ago, si quædam hîc aut Lutetiæ tibi curanda fuerint, vtere in his mea opera tanquam hominis tibi addictissimi, paratissimíque ad omnia. Romę 5. Nonas Septembris 1639. Epigrammatum in quo candorem Gallicum extollis accepi, alterum non vidi, de ambobus tamen gratias tibi habeo

quan-

quantas animus poteſt capere maximas.

LXXXIX.

Viro Clariſſimo, D. Domino Eliæ Diodato.
Gabriel Naudæus S. P. D.

Lutetiam

SVmma tua & incredibilis in me beneuolentia, optime Diodato, cùm antea ſemper mihi maximo vſui fuerit in rebus meis omnibus, tum verò nuper ita eluceere viſa eſt in poſtremo illo negotio, cuius caput & pes tu ſolus fuiſti, vt ego qui te Amico fideliſſimo, integerrimóque tandiu ſum vſus, nunc etiam parentis loco te habere debeam, nempe fecit arctiſſima illa tot annorum neceſſitudo, quæ inter nos mutuis officiis coaluit, vt cùm te veneratione, qua debebam, proſequerer, & ſingula tua verba totidem San-

ctiones esse putarem: Tu quoque paternum in me animum indueris, nec indignum me duxeris in quo ornando, & pro viribus tuis subleuando tota tua, quæ profectò non vulgaris est, desudaret industria. Et herclè velim, ita me Deus amet, vt istius in me propensæ voluntatis tuæ memoriam nunquam ex animo meo obliterari patiar; sed cùm antea quidem te colere, te venerari, de te semper honorificè loqui & sentire, tibi bona exoptare omnia, quæ virtus tua excellens & singularis probitas merentur, quotidianis fermè votis & sermonibus non cessarem. Faciam deinceps si tamen meæ in te pristinæ obseruantiæ aliquid addi potest, vt ardentiùs frequentiùs, cumulatiùs, nec ampliùs vt Amico, sed veluti parenti Carissimo

ſimo hæc omnia & præſtare & optare non deſinam quem affectum meum ſpero aliquando fore vt tibi coram non ſine communi voluptate ſim declaraturus, interim verò vtere me tanquam tuo, præſcribe, iniunge, ac quæcunque voles pro iure tuo impera, quandoquidem ita de me hoc poſtremo officio meritus es vt nihil ſit quod tuo de cauſa facere non debeam. Vale Romæ pridie Idus Octobris 1639.

XC.

Paganino Gaudentio Viro Clariſſimo, Gabriel Naudæus S.P.D.

Piſas.

DElectatus ſum maximopere poſtremis tuis literis, illis dico, quibus a me contendebas vt Rabinum hunc qui de vita Moſis ſcripſit ad te tranſmitterem, ſi for-

tè in librorum meorum quantulacúque farragine haberetur. Nam cùm in omnibus tibi gratificari cupiam, meíque in te animi propensionem frequentibus officijs declarare, quid ni fortunæ meæ propitiæ acceptum ferrem? quòd tu primùm eam mihi de te merendi occasionem obstulisti, in qua vt voto meo, sic tuo literatorúmque omnium commodo qui fructum ex laboribus tuis percipiunt vberrimum, absque vlla mora inseruire possem. Et sanè vt dicam, tibi, Paganine, quod censeo, rectè quidem pudentérque mihi facere videris, qui præclari illius & sapientissimi Legislatoris vitam attentiori cura explicandam suscepisti, nam cùm Iudæus ille, quem D. Gaulmino viro doctissimo debemus, totus sit ex fabulis

bulis & ambagibus horrendis conflatus, Gregorij verò Nisseni scopus fuerit Moseos vitam in gratiam cuiusdam Amici sui perfectam viuendi formulam habere cupientis mysticè interpretari, restat hucvsque solus Philo, nec ille quidem eiusmodi vt omnibus placere possit, cui in hoc opere texendo cum aliqua ingenij & diligentiæ commendatione versari contigerit, Quamobrem vt campum hunc, qui planè derelictus a Latinis hominibus videtur iterum occare & repastinare possis summa tua cum laude, neque vlla per me tam præclaro conatui mora inijciatur statim atque tuas accepi, nihil mihi prius aut antiquius fuit quàm D. Vincentium Langierum conuenire, eique libellum hunc charta emporetica muni-

tum ab injurijs & negligentia mulionum tibi mittendum committere, quod quidem officium quia non potui cum D. Vincentio, qui paulò antè Romulionem profectus erat perficere, certè cùm eius famula muliere admodum sagaci & prouida, mihi nec herclè inuito exequendum fuit. Qua de re etsi credebam te per literas meas statim facturum iri certiorem, nescio tamen quomodo occupationes meæ, non illæ quidem graues, sed multæ in causa fuerunt vt non nisi post octiduum tali ad te scribendi munere defungi potuerim. At vix est tamen vt tarditatis huius me pœniteat quandoquidem vt jusseras euolui interea librum vernaculo sermone a te conscriptum de finibus regundis, quem si mihi majorem in modum placuisse di-

ſe dixerim,non equidem mentiar, eſt enim, omninò terſus, elegans & amnis inſtar ſedati molliter fluens, magiſque tuus, quàm vllus eorum, qui ſubinde a te tot veterum ſententijs exculti,tótque muniti auctoritatibus editi ſunt; vnde maximam ex eius lectione voluptatem percepi, quæ multo cumulatior erit ſi mihi ſignificare pergas quænam ſit operum tuorum ſeries & nomenclatura, licet hanc in vnica tantùm Epiſtola, quam ſeparatim in diuerſis, accipere maluiſſem; ſed modò iſtud tuo commodo fiat, parum refert hoc ne vel illo ordine fieri mea de cauſa voluerim. Cæterùm quæ de Heinſij atque Voſij nouis compoſitionibus, deque Maſcardi cum homine quodam noſtrate diſſidio ſuper ingeniorum præſtantia quæ-

rebas, hæc omnia saltem quantum ex Amicorum meorum literis conjicere possum ita se habent. Exercitationes sacras in Nouum Testamentum, opus omnium, quæ vnquam Heinsius ediderit, longè præstantissimum, propediem hîc habebimus & tu etiam Pisis aut Florentiæ, earum lectione frui poteris, quoniam curauit sedulò vir ille non tam alienus a nostris ritibus quàm fama est, vt a Romanis non secùs atque Batauis & Germanis sine cuiusquam offensione legi possint. Tractatum verò de Idololatria confectum a Vossio fuisse, rumore tantùm accepi, nec habeo quidquam de eo certi quod ad te perscribam. Denique nunquam audiui Mascardum, qui judicio æquè ac doctrina & eloquentia prorsus est singulari in il-
lud

lud odiosum certamen cum Gallo descendisse neque ego conjectura satis assequi possum vnde rumor eiusmodi apud vos percrebuerit nisi forsan hic in Prolusionibus suis Latinis, quas nuper Typographi Parisienses ediderunt aliquid inseruerit de Italorum in literis præstantia, quod factum ei fuit admodùm facile in tanto ingeniorum prouentu, quæ non modò ad grauiores Disciplinas, sed ad quaslibet Artes exeolendas summopere idonea, felix studiorum Mater Italia quotidie supeditat, nec puto tamen licet hoc fecisset Mascardus nostrorum quemquam molestè laturum quòd Itali à quibus Literarum splendor in reliquum Orbem emicuit suas in Parnasso sedes obtineant, etiam Apollini, Musisque proximas cùm ab ipsis

jure deturbari minimè possint aut debeant. Habes igitur ad omnia quæ in literis tuis responsionem flagitabant, præterquàm ad Epigrammata de quibus amo te, mi Paganine, quantum homo hominem alterum potest, a quo tam præclarè támque honorificè fuerit commendatus. De Asylis quod addebas valde placuit Eminentissimo Cardinali meo, putat enim Opus illud, quod per se arduum & difficile est, consultò a te premi nonum velut in annum, vt maturitatem sine qua diuturnum nihil esse potest assequatur, magísque subactum & elimatum in lucem prodeat; quanquam tu, Paganine, istis forsan adjuuentis, ornamentísque non indiges, quæ tempus ipsum suppeditat quia ingenium in numerato habes, pluráque & meliora

meliora αὐτοχέδιος è tua diuite vena profundis quàm alij etiam non mediocriter eruditi post multas lucubrationes facere possint. Gratulor igitur tibi vehementer raram hanc ingenij tui felicitatem, velimq; me ex ea beneficium etiam aliquod percipere saltem in literarum tuarum frequentia, quibus aliquid mihi gratum esse aut acceptum, caue in animum inducas tuum; hoc autem vt a facundia tua me accepturum esse non diffido, sic ab humanitate consequi vellem vt quemadmodum binis tuis nunc respondeo ita deinceps vnica mea pluribus, bona tua cum venia, satisfaciam.

Vale, Romæ Idibus Octobrib. 1639.

XCI.

Viro Maximo, Fortunio Liceto, Gabriel Naudæus S.P.D.

Patauium

NOn possunt illi, quos studia recta delectant verè atque ex animo non dolere, quoties eruditissimorum virorum præclaros conatus, cuiusmodi, Fortuni Licete, tuos præsertim esse, mihi certum est, eorum opera interturbari vident, qui in id potiùs conniti totis viribus deberent, vt communis illa Sparta, quam simul excolunt, propria cuiusque industria cultior, ornatiórque redderetur. Quamobrem non possum eius viri Apologeticon laudare, qui nuper sub Tyronis literarij nomine tibi mulctam irrogauit, multóque minùs librum hunc, quem offerri mihi suo nomine per Bal-

dum

dum noſtrum curauit, in manus ſumere debui, vt conuitia quæ ipſum audio in te tanquam è plauſtro libera prorſus & effrenatiori linga conjeciſſe, cuius tandem generis eſſent & num jure vel injuria prolata diſcuterem: Nam cùm illi plurimùm me debere profitear ob officium illud, quo me peramanter & honorificè proſecutus eſt, tibi verò tam arcta neceſſitudine ſim deuinctus, vt ferre non poſſim æquo animo famam tuam ab inuidorum aut obtrectatorum aculeis lacerari, quã omnes boni toto Orbe non diffuſam modò, ſed celeberrimam eſſe fatentur, ſatiùs propterea duxi ab hac ſcriptione oculos temperare, quæ multorum judicio cùm dentata, peracerba & virulenta ſit, non poſſet quidem me aut in bo-

nam de suo auctore, aut in malam de tua caussa opinionem inducere; & sanè cùm officio erga te meo satisfactum esse hunc in modum intelligam, non puto præterea Tyronem illum literarium molestè laturum esse, quòd ego, qui ipsum antea in Analysi sua præclarè compositum, multáque ex se & ex Schola sua depromentem omnino digna commendatione posterorum libenter videbam, eundem nunc sed ira percitum & furentem, nec tam neruos, quàm aculeos in te stringentem aspicere nolim, ne quod antea de eius eruditione judicium feci totum corruat si cum illis fluctibus, quos nunc miscet & excitat velut in simpulo, atque cum immani calumnia quam in te dum vibrat, sibi potiùs intulit, a me conferatur.

Tu

Tu verò, Licete, si mulctam illam videris, si legeris, mone me sed sedatus num vera sint quæ de ea communes Amici referunt, quæque ego non prorsus esse falsa ex ipso statim illius limine mihi persuasi, cùm omnia in eo non tam ad iocum, vt ille dicit, quàm ad vim, interneeionémque parata offenderim: verum oro te, obtestórque vt quemadmodum antea dicebam, sedatus id facias, nam licet aduersarij tui quos pro gloriæ tuæ immensitate multos etiam habes, aut odio, aut incuriæ liuore obcæcati tibi, tuísque honoribus quantum ipsi per se possunt detrahant, nihil tamen ab illis tam infandum sustinere potes, quod non item alij, qui te in bene de hominibus merendo præcesserunt experti sunt, atque vt illos ætas.

postera, quæ sine cuiusquam odio vel studio indicat Diuinis immortalibúsque viris accensere non dubitauit hic tua virtus, quæ proculdubio rara & inusitata est, suósque etiam te præsente laudatores habet, numerosiores adhuc illos obtinebit, cùm gloriæ tuæ ampliùs adesse non poteris,

Vrit enim, quod inquit ille fulgore
suóque prægrauat arteis
Infra sepositas, extinctus amabitur idem.

Et hac de causa futurum spero vt Bononia, quæ te Patauio eripuit multum ex decore tuo suum augeat, tantíque deinceps ab omnibus fieri debeat quanti ipsa te non modò vera Artis Effata docentem, sed de rebus difficillimis & hactenus ignotis æterna volumina quotidie scribentem faciendum duxe-

duxerit. Vale Romæ 10. Kalendas Augusti 1639.

CXII.

Hieronymo Bardio Viro Clarissimo, Gabriel Naudæus S. P. D.

Pisas

FVit mihi iampridem ex sermonibus grauissimi & vtrique nostrûm amicissimi viri Fortunij Liceti cognita incredibilis tua in ipsum humanitas; quam ego persepe miratus sum adeò constantem in ipso tuis officiis demerendo fuisse vt nullæ aut raræ sint eius ad me literæ, quæ tuum nomen tanquam ueri & fidelis amici non habeant expressum. Itaque amabam te maiorem in modum, Hieronyme Bardi, vel hoc solo nomine quòd fides hæc tua & obseruantia singularis in Licetum mihi probè cognita atque explo-

rata foret; nam ea videbatur mihi non frustra consequi posse qualinam in reliquos esset, qui tecum aliquo necessitudinis vinculo conjungerentur, felicésque ea de causa putabam illos, & ipse mecum plerumque cogitabam eodem vti parario, quem tu non sine meo rubore primus occupasti, vt mihi etiam aliquis ad amicitiam & familiaritatem tuam pateret aditus, verùm oppressit me talia meditantem Epistola tua, non modò testis magni tui erga me amoris locupletissima, sed tot insuper elegantiarum, tótque venustatum plena, vt cùm in me ornando nihil reliqui faciat, tum etiam planè demonstret facundiæ tuæ vim, potestatémque mirabilem esse, nam cùm ingenij mei tenuitatem non modò dissimulas, sed affingis

illi

illi tot præclaras dotes, vt si vel minimas illarum agnoſcam, ſummè profectò fatuus ſim, aut impudens. Verumtamen vt eſt hominum natura, qui ea libenter audiunt, qui ſibi placent facere, etiam non potui quin voluptatem maximam caperem ex hoc animo tuo tam prono in honorem & dignitatem meam. De quo ſanè & habuiſſem iam antea tibi gratias, & literis etiam quibus teſtatum hunc mihi feciſti, reſpondiſſem niſi illud præſtare opis meæ non fuiſſet,qui plura tibi debeo, quàm ſoluere poſſim; hoc verò facere propter occupationes varias & æquè moleſtas, quæ me vel inuitum detinuerunt, mihi non huc vſque non fuiſſet cenceſſum. Quamobrem licet vulgaris ſit hæc & jactata ſilentij redemptio, co-

gor tamen ad eam recurrere, quia nisi purgatio eiusmodi aliquid mihi aduersus tuam indignationem præsidij allatura sit, non video certè quî tandem possim alio modo illam effugere: Sed me hercule tam verum est duobus illis mensibus, quibus literis tuis respondere distuli, plus mihi, quàm toto præcedenti Anno negotiorum incubuisse, vt si mihi fidem non habeas istud asserenti, & quod nollem experto de meo in te amore, studióque, quod magnum interea & incredibile fuit, malè meritus esse videare. Vt igitur tibi dicam quod res est, Doctissime Bardi, nullum negotium mihi vnquam ita molestum fuit vt postrema hæc non multò magis molesta fuerint, cùm præter laborem in ipsis curandis, conficiendísque multum

præ-

præterea verecundiæ ſuſtinuerim ex opinione non ita forſan honeſta, quam de me & moribus meis concepiſti, ſed humanitas tua in cauſa eſt vt benè ſperem ab illa conſultum iri rebus meis præſerſertim cùm Lictus noſter, cui fidem ab vtroque noſtrûm non haberi flagitium eſſet, teſtari poſſit me in excolenda clariſſimorum virorum amicitia nunquam niſi ipſa impellente neceſſitate fuiſſe cunctatorem. Cæterùm poſtquam hac purgatione videor mihi rediiſſe tuam in gratiam, a qua forſan diuturnum illud ſilentium meum me dejecerat, oportet nunc vt pro more meo, humaniſſimis tuis literis κατὰ πόδα reſpondeam, & ſanè juuat me primùm ex illis atque item ab adjuncta Proluſione tua, de qua te multùm amo, intel-

lexiſſe liquidò quantus vir fores in omni Scientiarum genere, quàm excultus lingua, quàm verſatilis ingenio, quàm doctrina ad miraculum vſque refertus, vt magnum ſit atque rarum omninò quod ſperare poſſunt Literæ te incolumi, neque profectò fefellit hæc ſententia clariſſimos Gymnaſij Piſani Rectores, cùm te dignum habuerint, qui calcatum ante a capitali viro Iacobo Maſſonio pulpitum conſcenderes, partúmque ab ipſo Academiæ decus non conſeruares modò, ſed proferres in melius noua illa & exquiſita, cui te jam plurimùm inſudaſſe ſignificas philoſophandi ratione. Quare auctor tibi ſum vt ab hoc ſtudio non te detereant Nouatores illi, quos tu ſubindicas omnem fermè ſcribendi occaſionem tibi

præ-

præripuisse, vt cùm tantùm abest vt istud facere potuerint quod ipsi & qui ab eorum orbita non discedunt Telesius, Basso, Patricius, Gassendus, Verulamius & id genus alij ne centesimam quidem partem eorum attigerunt in quæ tanquam in vacuas possessiones, relictáque nobis a majoribus nostris latifundia, & tu, vir clarissime, & qui te in eodem voto sequentur, vos immittere potestis. Quamobrem non satis consulere vt rebus ipsis sic nominis tui celebritati mihi videbere nisi quæ affecta habes in Musæo tuo; eadem perficias numeris omnibus, emittásque quemadmodum reliqui Scriptores solent in hominum ora, manúsque, vt debitum laboribus tuis præmium ab ipsa fama in æternitatis delubro

eam impoſterum tibi addico, ſpondeóque non mihi fore quidquam jucundius, quàm ſi ea libenter vtare, non ſolùm in literis, ſed in libris etiam tuis, quacunque demum ratione voles me ipſis inſeruire, modò enim imbecillitas mea non mihi ſit impedimento, nihil aliud facere poterit quin morem tibi geram in omnibus; laudo autem ſummopere quod vtráque Medicinam, veterem dico & nouam ſiue Hermeticam, cum vtraq; pariter Philoſophia conjunxeris, nam qui tot retia tendit veritati, rerúmque Naturæ, vix fieri poteſt vt ipſam aliquando non inueniat. De tuo interim Platonico & Iatrochymico eloquio valde tibi gratulor, & quoniam vix capere poſſim quid a me circa illud fieri poſtules, offero me pa-

randorum morborum, nisi eius loco intelligas Commentarios duos de Medicina veteri & noua tum cognoscenda, tum facienda editos Basileæ in forma Dialogi, aut libros de Pestilentia, déque grauidarum & infantium cura, ac etiam de febribus, quos omnes Andernarum edidisse certum est, nescio sanè quidnam alij particularis Methodi nomine censeri debeât. Quod item ad rerum Chymicarum Scriptores primipilios attinet, quorum ad te Syllabum mitti postulabas, scito maximi apud omnes hac tempestate fieri Ideam Medicinæ Paracelsicæ collectam a Seuerino Dano, Crollij Basilicam Chymicam, Hartmanni praxim Chymiatricam & annotationes in Crollium, Sendiuogij nouum lumen chymicum, Angeli-

ſalæ omnia, Libauij Epiſtolas, ſingularia, & opera reliqua de rebus Chymicis, Vntzerum de ſale, ſulphure & Mercurio, itémque de Renum calculo, & Antidotarium peſtilentiale, Sennertũ de conſenſu veteris Medicinæ cum noua, Pharmacopæam & obſeruationes Poterij, Ioannis Fabri Palladium Spagyricũ, Chyrurgiam Spagyricam & Myrothecium Spagyricũ, Iacobi Zuuingeri examen principiorum Chymicorum, Eraſti diſputationes in Paracelſum, Theſaurum Euonimi, Beguini Tyrocinium Chymicum, aliáque eius generis non pauca, quorum maxima pars Venetijs haberi non difficulter poſſet, Lugduno autem facillimè, modò fidus aliquis Bibliopola tibi in hoc negotio operam ſuam accommodare vellet; Romę

verò

verò præter Sennertum aut Fabri Spagyrica nō auderem quidquam aliud polliceri adeo hîc præ Baldo & Bartholo nullus eſt Galenus, atque ita vir Clariſſime, habes ad omnia quæ in tuis literis reſponſionem flagitabant, hæc verò ſi Epiſtola tibi forſan juſto longior viſa fuerit, tuam primùm accuſare debes, cui ego niſi poſt diuturnum illud ſilentium meum, pari cum diligentiæ teſtificatione ſatisfeciſſem, non viderer mihi aut officio meo præclarè defunctus, pro eo ac debebam tam prolixæ tuæ in me beneuolentiæ magnitudinem, adæquaſſe, quod tamen vt facerem maximopere ſum conatus & impoſterum multò magis conabor ſi tu quoque & frequentibus tuis literis me beare pergas & vehementiùs etiam ama-

re. Romæ 8. Kalendas Nouembris 1639.

LCIII.

Iano Nicio Erythræo Viro Clarissimo, Gabriel Naudæus S.P.D.

Romam

FEcisti præter opinionem meá, Iane Nici Erythræe, qui tres Epistolas ad me misisti, cùm vnicam duntaxat præstolarer, atque vtinam longiùs adhuc expectatione mea falsus fuissem, quartam accipiendo, quæ nomini meo inscripta fuisset; nam quæcumque prosa aut versa oratione scribis ita me capiunt & delectant omnia, vt præ te vno veteres meæ deliciæ Bembi & Politiani videantur mihi nunc illiberales esse & inficeti, nempe meum mel spirat quidquid loqueris, & ipsa Pytho tuis in labijs sessitat, vt quemadmodum in omni

omni aliâ virtute veteres æmularis, ita etiam dicendi, scribendîque facultate ipsorũ nemini concedas, quod postremum quanti in studiorum ratione faciendum sit, nescio certè an reliqui viderint, ego verò colorem & neruos & animam conciliari lucubrationibus nostris a nulla alia re majorem, quàm ab eloquenti & pura, castigatáque dictione semper existimaui. Hæc enim velut eleganti specie puella nulli non arridet, nihil quod asperum sit & rude non mollit, obscurum si quid est illustrat, insulsum condit, debile confirmat, mœstum exhilarat, facit denique vt res, quæ per se laudem aliquam merentur, majorem adhuc a terso & exculto sermone referant, quæ verò nullam ex se haberent, non tamen illa destituantur, si

cum aliquo dictionis ornatu sint conjunctæ. Quamobrem ego te felicem in paucis esse duco, Iane Nici, cui Eudemiam illam adeo solerter & excogitare & describere tam eleganter concessum est, vt Herculis instar Gallici homines post te trahas non minùs facetis relationibus, earum rerum, quas Gallonius in ea viderat, quàm suauiloquentiæ tuæ catenulis irretitos. Et sanè quoniam in hunc sermonem deuenimus, non possum me continere quin illud tibi significem, quod de noua quadam Eudemia, non illa profectò quemadmodum tuam esse voluisti, in Mauritaniæ Insulis, sed in orbe Lunæ constituta retulit ad me per literas suas Amicus quidam meus, cuius fidei ac diligentiæ vix dicere possum quantum debeo; narrat igitur

igitur hic allatam sibi fuisse ex postremis Francofurtensibus Nundinis historiam profectionis nuperrimæ, quam homo quidam Vaferrimus ex altissimo Sinensium monte in orbem Lunæ fecit mira prorsus arte iuxtaque periculi & audaciæ plena, nam sportulæ vimineæ multos anseres iunxit edoctos priùs longo vsu parere loris & in quamlibet partem vellet auriga remigium alarum inflectere, atque hac strepera biga aut quadriga fretus itineri se commisit, non herclè tam nouo, quàm insolito nostris hominibus, quorum ab Astrophili tempore qui Hippogrypho illûc vectus est, nullum memini hoc ipsum iter denuo ingressum fuisse. Expertus autem primùm est anseres suos post emensum insigne quoddam

aëris spatium molliter volare, quasi gestientes circa fluminis ripas amœnissimi tandémque nullo fermè labore appulit in orbem Lunæ, vbi Lunares indigenæ ambabus statim vlnis peregrinum hominum excepere bene illi precantes & omnia subministrantes adiumenta, quæ cùm ad eius corporis cultum, tum ad animi votum pertinere iudicarunt. Quamobrem Regionis illius loca præcipua diligẽter lustrauit, Incolarum mores & studia non supinè rimatus est, nihilquè demum in Luna aut nobis ignotum, aut sibi intentatum reliquisset nisi anseres sui ægrè ob insolentem aëris illius temperiem se habere cœpissent, vnde cùm vehementer timeret ne si quid illis aduersi contingeret perpetuo illic exilio dam-

damnaretur, confeſtim Sportulam ingreſſus eſt, placidóque auium volatu demiſit ſe in vnam ex fortunatis inſulis, ad quam poſtea delapſus Anglus quidam hiſtoriam hanc ab eo didicit & ſcriptis de ea ſermone vernaculo Commentariis poſteritati conſignauit. Tu verò, Iane Nici, de illa prout libet arbitrabere, aut potiùs pro Angli illius ingenio, qui tuo forſan vel Mori ſui exemplo ductus Eudemiam aliquam, Vtopiámve fingere voluit non oblectandis tantùm Lectorum ingeniis, ſed Aſtronomorum etiam nouis opinionibus deridendis, qui quotidie iactant multas ſe in Cœlo deprehendere Optici tubi beneficio, quæ fabulis ab illo Selenipeta prolatis non multum ſint diſſimilia. Ego verò quia narratio

eiusmodi mihi visa est perridicula, volui tibi hanc per literas narrare, cùm ob impedimenta quædam præsens non possem vt hostimentum aliquod haberes summæ illius & incredibilis voluptatis, quam ex tribus literis tui percepi. Cæterùm cùm illas ad te reuerti & in Ianiculum perreptare solitarias minimè arbitrarer fore ex tua aut earum dignitate meam hanc Epistolam velut ancillam adjunxi, quæ tantis Heroinis, támque venustis & elegantibus pro voto ac officio meo quod tibi semper mancipatum erit, inseruiret. Vale Romæ 8. Idus Nouembris 1639.

XCIV.

Danieli Heinsio Viro Maximo,
Gabriel Naudæus S.P.D.

Leydam

Cùm intellexissem ex postremis literis communis Amici nostri, atque vt puto affinis etiam tui Doctissimi Beuerouicij, quanti meum de studio militari Syntagma feceris, & quàm molestè tuleris nondum illud apud vos publicè distrahi, non existimaui mihi committendum esse vt pudori cuidam subrustico diutiùs inseruirem, qui me licet diuini tui ingenij laudatorem & admiratorem præcipuum hactenus prohibuit, ne eo tibi potissimum nomine innotescerem; sed cùm viderem propensæ illi tuæ in me voluntati non idem conuenire quod magnitudini doctrinæ tuæ silentium,

mecum sanè perbellè felicitérque actum esse duxi, quod nouissima hac occasione gratiarum, quas tibi ob magnificam de me prædicationem habere debeo & perueteri desiderio meo necessitudinis tecum iucundæ, & officio simul, cuius me debitorem fecit humanitas tua possem satisfacere. Quamobrem dico tibi, Vir Maxime, quod res est, amaui primùm ex commendatione incomparabilis Scaligeri ingeniũ tuum, quòd nisi supra modum elegans & eruditum fuisset, nunquam probatum iri sciebam tam idoneo iudici. Deinde verò ex operibus tuis cognoui quam aliorum commendatione non indigeres, quámque faciliùs posses non modò tibi, sed amicis tuis, imò liberalibus Disciplinis & sæculo nostro pretium

tium facere, quam ab alio quouis eam laudem recipere, quæ præclaris tuis & immortalibus in Rempublicam Literariam meritis deberetur. Et ſanè cùm ita de te ſtatuerem dum adhuc in Gallia verſarer, tum verò poſtquam in Latium veni & Romæ præſertim antiquæ virtutis illius imaginem, quæ Romanos totius Orbis Dominos meritò reddiderat, non magis in extantibus etiamnum columnis & molibus ædificiorum immenſis, quàm in vigentibus hominum ingeniis intueri mihi conceſſum eſt, liquidò tandem deprehendi nimium eſſe quod huic iudicio de te meo accedere deberet, ſi de laboribus tuis vellem pro eo certe ac debeo, verè fidelitérque pronuntiare; nam quas artes Roma & antiquitùs quidem plu-

rimi ſemper facere viſa eſt, & nunc etiam quam reliquæ aliæ Orbis ciuitates feliciùs excolit, cultum nempe & proprietatem verborum, facilitatem atque elegantiam ſermonis, iudicium, acuménque ſententiarum & quod præcipuum eſſe in omni compoſitione cenſeo, caſtigatam ſuiſque propriis limitibus coërcitam eruditionem, eas tu, Vir Maxime, iam inde ab adoleſcentulo ita complexus es vt ad veterem Romanam amplitudinem & dignitatem, quæ pro menſura recti omnibus eſt, nemo quàm tu feciſti, propiùs accedat, vnde vix poteſt dici quantum ea de cauſa Italis placeas, qui te vnum illimi, nitidóque flumini ſimilem decurrere per Scientiarum campos aſſerunt, eóſque multum fecundare præſtan-

ſtantium rerum tractatione, quam ſic abſoluere conſueuiſti vt nihil fœcis hauriat, qui te legit, ſed merum mel ſi quidquid loqueris, & quidquid tangis, relinquatur a te expolitum, proptereáque cùm ipſi Caſaubonos, Scaligeros, Salmaſios veluti torrentes mirentur, qui ſecum omnia, lectoréſque ſuos plerumq; inuoluunt, te ſolum amant, ripas vt inquiunt, non dedignantem, non mutantem fines atque terminos agrorum in Parnaſſo, non rerum omnium nominibus aut naturæ vim inferentem, non vorticoſum, non præcipitem, ſed limpidum, ſuauem, venuſtum, argutum, & quod rei caput eſt nihil aut diminutum, aut redundans, aut ineptum molientem. Quibus titulis ſi te quoque ſuſpiciam, præterquàm illud communi non Ita-

lorum modò, sed populorum omnium, quibus optimæ Disciplinæ cordi sunt, exemplo faciam, sequar insuper Maximi & eruditissimi Pontificis Vrbani VIII. & Eminentissimorum Cardinalium Barberini ac Widi Balnei Domini mei voluntatem, qui te mirum quantum amant ex summa industria & moderatione, quas tu in libris tuis velut ingenij & prudentiæ duo lumina adhibere voluisti. Verùm non moror hæc exempla quantumuis illustria sint & illud etiam quod de me supra meritum meum a te factum fuisse intellexi, satis mihi incitamento sint, vt neque doctrina, neque humanitate aut virtute vlla, quæ maximum & capitalem virum deceat, quemquam alium tibi præstare existimem, qua in opinione

ita

ita me deinceps constantem habiturus es, vt nunquam te pœnitere debeat res meas, quæ natura sua leues sunt, auctoritatis tuæ pondere sustentasse. Adderem plura in grati animi testimonium, nisi Beuerouicius noster, qui me dudum inter suos habere cœpit, fidem tibi facere posset perpetuæ meæ in amicos omnes ac tui potissimum similes voluntatis, cuius periculum facere, quotiescumque tibi libuerit inuenies me semper paratissimum ad omnia, atque istud liberè, confidentérque vt facias peto a te, Vir Maxime, etiam atque etiam. Vale, Romæ 19. Kalendas Decembris 1639.

XCV.

Ioanni Beuerouicio, Viro Clarissimo, Gabriel Naudæus S.P.D.

Dodracum.

VIx mihi redditæ fuerant postremæ tuæ, Beuerouici, cùm venit etiam Patauio juuenis ille popularis tuus, de quo mihi in præcedentibus tuis scripseras. Miratus sum in eo primùm indolis præstantiam, quæ facta mihi prorsus ad vnquem visa est, vt omnium sibi voluntates conciliaret; deinde verò ex sermonibus, quos mecum habuit, doctrinam, judiciúmque illius suspexi, & his causis accedente commendatione, nihil me non facturum esse recepi, quo curare & adjuuare ipsius commoda pro virili possem. Interim verò quia officium meum nulla in re desideraui, ea significatione amoris

moris in illum mei sum vsus, qua reliquos prosequi soleo, qui mihi de meliori nota commendati sunt, obtulique illi Syntagma meum de studio Militari, & abeuntem votis sum, animóque prosecutus neque vnquam amare illum & æstimare pro merito suo desinam. De Patre Famiano Strada litem omnem componet Epistola qua tuæ haud tamen absque interiori quadam secum contestatione respondit, verebatur enim non conscientiæ suæ stimulos, quemadmodum ad me semel atque iterum Tibure, vbi tunc remissioni studiorum vacabat, perscripsit, sed eorum potiùs censuram quibus inuitis nihil eiusmodi aut tutò, aut honestè suscipitur. At enim puto Deum hanc injecisse optimi Patris animo dubitatio-

nem, vt occasione tam importuna Romanorum Procerum, & eius potissimum qui sub Maximi Pontificis arbitrio rerum hic potitur, summam erga te, atque virum verè magnum Danielem Heinsium, beneuolentiam declararet, quam si paternam esse dixerim, Beuerouici Doctissime, nætantum illud dixerim quod ab vtroque vestrûm & ab omnibus alijs, qui similem adhibebunt in literis maxima cum eruditione tractandis, modestiam, atque vos ipsi non sine prudentiæ vestræ testificatione adhuibuistis re ipsa verissimum esse deprehendetur. Cæterùm quoniam nullus est Italorum, quem Doctissimus Heinsius in amorem & admirationem sui jam vsque ab adolescentia sua, doctrinæ merito non pellexerit, omnibus pro-

ptcrea.

pterea valde molestum fuit simultates, quas honesta quædam æmulatio inter hunc & Salmasium virum item magnum latenter aluerat, in apertum nunc postremi illius culpa erupisse, velléatque oppidò quàm maximè sedatum iri controuersiam hanc, quæ plus damni, quàm vtilitatis Reipublicæ Literariæ sit allatura; verùm quando fieri istud vlla auctoritate, aut humano consilio non poterit, ne dubita, Beuerouici, quin potiores apud nos semper futuræ sint clarissimi Heinsij rationes, quę tueri quibuscunque modis jamdudum Princeps Eminentissimus animum induxerat, nec secus nunc, quàm olim inducet si fortasse commodum Doctissimo Heinsio videretur eum in locum secedere, ubi nec Pelopidarum nomen

nec facta audiret & eum præterea honorem acciperet, qui suæ incredibili doctrinæ, maximis cumulatissimisque ab eruditissimo & munificentissimo Principe Francisco Barberino haberetur: Atque istiùs pollicitationis meæ vadem alium ne quæras, quàm me ipsum, qui me bona fide curaturum recipio quæcunque facto in hac re opus esse mihi aut Slingelando nostro significaueris. Denique majorem in modum doleo tibi quoque pugnam esse cum nonnullis hostibus & illis quidem valde tibi magis infensis quàm Heinsio nostro non est aut erit vnquam Salmasius. Caue igitur ab illis sedulò & quacunque potes ope cura valetudinem tuam, quæ mihi ac præclaris viris Fortunio Liceto, & Famiano Stradæ magis quàm propria cordi est.

eſt. De Elichmano quem omnes nunciant præſtanti ad varias artes & linguas ingenio fuiſſe & eo puncto temporis ad plures demigraſſe, quo de fatali vitæ termino ſcribere inſtituerat, ſi quid habes quod ſpeciatim referre poſſis, quæſo ne grauerís iſtud facere, quærentibus enim de eo Amicis meis, hæret mihi aqua. Timeo ne eius mors in cauſa fuerit vt aliorum quæſtiones de vitæ termino, inter quas meam haberi ſcribis tardiùs a veſtratibus Typographis excudantur, ſed illud modò fiat tuo commodo, non poterit vnquam aut ſat citò, aut ſat bene non fieri. Vale Romæ pridie Idus Nouembris. 1639.

LCVI.

Timotheo Hoiio Viro clarissimo
Gabriel Naudæus S.P.D.

Duacum

HVmanitatis tuæ beneficium agnosco, quod de mea, Doctissime Hoi, tam præclarè loqui & sentire volueris: Quamobrem multum me tibi eo nomine deuinctum esse profiteor, tantum abest vt tibi, aut Slingelando nostro, qui te mihi diligentissimè commendauit in ijs omnibus gratificari recusem, quæ vos præstari a me vtriusque vestrûm de causa posse arbitrabimini. Et sanè nullum hactenus in hac vrbe lapidem non moui, vt duabus a te mihi propositis quæstionibus, liquidò cumulatéque responderem. Vnde quantum ad primam attinet, possum tibi confidenter asserere ne

quidem

quidem per somnum venisse in mentem Cardinalibus qui librorum censuræ præfecti sunt, vt illum à communi lectione summouerent, quem Pater Guillelmus Gibieus de libertate Dei & Creaturæ vno tantùm anno priusquam in Italiam venirem Parisijs ediderat; quin imò sacri Apostolici Palatij Magister, cuius in manus primùm venerat, verbis de eo apud Summum Pontificem perquàm honorificis sermonem habuit eóque potissimum nomine Pater Bertumus cui tunc temporis negotiorum Sodalitatis Oratorij procuratio incumbebat, cùm eundem librum Summo ipsi Pontifici offerret, testimonium ab eo valde magnificum & illustre de summa Auctoris eius probitate & doctrina retulit, neque puto

quemquam grauissimo huic, honestissimóque judicio aduersatum vllo postea tempore fuisse, nisi fortè quis Patrem Fiorauantem Societatis Iesu Presbyterum, qui a Confessionibus erat Summo Pontifici, istius suspicionis insimulet, nam revera bonus ille Pater ob interdictum Clementis VIII. super quæstione de auxiliis, fluctus quosdam in Patris Gibieuf librum commouerat, sed verè illi tanquam in simpulo fuerunt, quos nulla prorsus tempestas, ac ne minima quidem perturbatio subsecuta est. Quod verò postea quærebas de horologiis & Euchologiis Græcorum planè eiusmodi est vt explicari à me pro rei ipsius amplitudine & difficultate paucis verbis non possit, nihilominus scire quasi in transcursu

poteris.

poteris Congregationem hic virorum quorundam Græcorum ritus & linguam mirè callentium singulis mensibus celebrari vt Euchologiū quod Venetijs excusum est, quodque passim diuinis Græcorum officijs, institutísque sacris deseruit, ad fidem vetustissimorum Codicum emendatum, qui frequentes in vaticana, Barberina, Sfortiana, Vallicellana, alijsque cùm publicis tum priuatorum Bibliothecis habentur. Atque, vt audio, nullum pene antiquius & bonæ notæ Euchologium reperitur, quod nen aliqua sui parte mutilum existat; proptereáque valde dubito an illud quod penes te asseruatur meliùs ex collatione cum Romanis istis fieri poterit. Quod tamen si probare velis, faciam te omnino voti tui compotem modò

verba illa quæ lacunas in tuo Exemplari cùm præcedunt tum ſubſecuntur ad me tranſmiſeris, verùm cùm illius Congregationis de qua tibi paulò ſuprà dicebam, σκοπὸς ſit Euchologium, non ſolùm a mendis & abſurdis, quibus ſcatebat, inſtituti, repurgati, ſed aucti & quaſi de nouo inſtaurati editionem vrgere, eam ob rem parcere meo judicio potes huic labori qui licet tibi non minimo conſtaret, fruſtra nihilominus a te ſuſceptus videri poſſet, prodeunte paulo poſt in publicum, ac de ſublimiori loco, velut potentiùs emicante Romana illa Euchologij caſtigatione. Cæterùm neque Interpretatio Latina eiuſdem Euchologij, quam innuis a Gentiano Herueto adornatam fuiſſe, magni momenti eſſe poteſt, quippe

quippe cùm ceremoniarum & rituum illorum, quibus Græci ſacris operantur, proculdubio ignarus eſſet, valde etiam rationi conſentaneum eſt non potuiſſe ſatis fideliter multa ab eo Latina ex Græcis fieri, quæ non tam ab ipſa verborum proprietate quàm rituum certa, determinatáque cognitione dependere, facilè inducor vt credam. Huic autem incommodo puto ego Patrem Morinum aut Abbatem Hilarionem ituros obuiam eſſe noua quadam Euchologij verſione, quæ non minus Congregationis illius auctoritatem, quam communem ſententiam præ ſe ferat. Horologiorum verò ac reliquorum librorum Ceremonialium quoniam nemo alius eſt, qui curam hoc tempore ſuſcipiat, potes idcirco lubentiùs experiri ſi

velis quid illis commodi ac ornamenti tua, Vir Doctissime, aut Patris tui, τοῦ μακαρίτου diligentia conferre possit. Qua in re non secus atque in aliis omnibus si quid hîc opus tibi erit, quod me tua causa facere oporteat, illud non secus quàm si meum negotium foret, curatum iri a me scito. Salutem verbis tuis plurimam dixi Clarissimis viris Leoni Allatio, & Ioanni Morino, quibus ob eximiam eruditionem impensè fauet Cardinalis Barberinus, Lambertum Fellam accuratè pariter ex te salutaui, omnes tibi bene cupiunt & hoc mihi commendarunt vt te vicissim suo nomine saluere juberem. Vale, Romæ Idibus Nouembris 1639.

XCVII.

XCVII.

ano Nicio Erythræo Viro clarissimo,
Gabriel Naudæus S.P.D.

Romam

ITa eſt, Iane Nici, planè de eloquentia noſtrorum temporum ſe habet vt tu nuper ad me ſcribebas, & in ea plerumque aures, non ſecus atque in amore, oculi peccant; ſed quid dico noſtrorum temporum, cùm vitium illud commune ſæculis omnibus fuerit, ſermonem faſtidire, qui bonis omnibus placeret, & nouos latinè loquendi modos excogitare, nouáque veluti parturire verba, quæ ſi non alios ad ſe ſaltem rerum nouarum cupidos allicerent. Atque ex eo eſt quod Ciceronis etiam tempore, cuius nomen non hominis eſſe, ſed eloquentiæ potiùs viſum eſt. L. Cotta cùm ver-

bis tum sono quasi subrustico imitaretur antiquitatem, & L. Sisenna doctus vir, studijsque optimis deditus vteretur tamen verbis & ab vsu perfecto & ab exquisito disertissimorum hominum judicio non minimùm remotis. Petronium verò quis sub Neronis imperio tanta cum facilitate & munditia locutus est vt etiamnum Latini sermonis arbiter vocetur, nonnè vides Satyrico suo initium fecisse ab eorum irrisione, qui lenibus sonis atque manibus ludibria quædam excitando effecerant, vt corpus orationis eneruaretur & caderet. Quin imò cùm æqualis temporum illorum Quintilianus de perfecto Oratore præcepta traderet, tunc vel maximè exorti sunt declamatores, qui enormi sua loquacitate, & stylo con-

contorto ingenioséque fucato omnem penitùs eloquentiam corruperunt. Eodem modo Tertullianus & Arnobius non tam à Lactantio disertiſſimo illo Criſpi Cæſaris Magiſtro, tempore diſtant quàm ſalebroſo & effreni ſermone, qui torrentis inſtar nonnunquam elatus, aliquando humilis, ſemper verò fragoſus & audax & lutulentus fluit. Sic denique Boëthium, quem Laurentius Valla non immeritò Latinorum vltimum vocauit, aut comitati, aut modico interuallo ſubſecuti ſunt Symmachus, Cappella, Fulgentius, Sidonius, Apuleius & id genus ſcriptores alij, inquinatæ, profligatæque dictionis, qui maximo ſibi fore honori duxerunt ſi priſcorum facili, puniſſimáque vbertate neglecta, difficiles quaſ-

dam verborum inter se connexiones, meráſque nugas & picturatam, aut operi potiùs teſſelato & Emblemati vermiculato ſimilem eloquentiam vſurparent. Neque ego Petrarcham exiſtimo cùm Ciceronis & Titi Liuij ſcripta tanto ſtudio conquireret non habuiſſe ſuos æmulos, qui ſordidis aliorum ſermonibus, verbíſque de triuio & inter ſe colliſis, crepitantibúſque periodis multò faciliùs caperentur, adeóque ſemper inualuit deſiderium illud ab alijs in diuerſum eundi, maximè cùm de laudibus eloquentiæ certatur, vt hac etiam tempeſtate, qua Politiani, Bembi, Sadoleti, Manutij, Perpiniani, Mureti, tótque alij certiſſimum tramitem quo ad illam iretur, non tantùm ingredi, ſed nobis etiam munire & velut

digito indicare voluerunt, plurimi nihilominus peregrinas quasdam dicendi rationes sectari non desistant, quasi verò ea demum eloquentia omnium suauissima & præstantissima censenda sit, quæ magis est aut insolens, aut inusitata. Quid igitur tam insulsis ne dicam penitùs insanis capitibus facias, Iane Nici? profectò mihi tam largè suauitérque risum nuper mouisti, vt subinde cogar ridere de nouo quoties eius venit mihi in mentem quod tu de illis dicebas; nempe eorũ scripta nonnulla, quæ tu me suadente euoluisti, fecisse te plenum desperationis & dedecoris, cùm in eorum lingua non magis post tot studia te versatum esse deprehendas quam si ea Gallorum aut Germanorum foret, cui addiscendæ nequidem

per hominum operam, aut laborem vllum impendisti, & amabo te, quis non effusè rideat, si pudica quædam Matrona, & natiuæ pulcritudinis dote ad miraculum vsque conspicua fucatæ, calamistrataæque meretrici occurrere formidet, vel si homo, qui domi viuere incredibili cum lautitia & rerum suarum splẽdore possit peregrè tamen versari, & barbaras nationes adire, sibi conducibilius esse ducat; tandémque si viator, qui per plana & expedita facere potiùs iter deberet, abrupta petat, & per dumos ac senticeta libentiùs inambulet. At verò prioribus istis similem te facio, Iane Nici, qui neque raucidulum quicquam in medium profers, neque sententiarum copia, aut sesquipedali magnitudine periodum inflas, multóque

que minùs sermonem tuum ita crebrò, minutatimque concidis, vt totus in scrupos & quisquilias conuertatur, sed tanta verborum elegantia, compositionis suauitate, numeri sonoritate, schematum rebus accommodata dignitate, Eudemiam tuam & colloquia & literas & omnes tuas commentationes distinguis, vt qui semel ipsas legerit confestim se in tui amorem simul atque admirationem rapi persentiscat. Posterioribus autem quis neget æquales esse nouos illos sententiarum feruminatores, qui dum arbitrantur parum esse disertum quod alius dixerit, ex se ipsi in absurdissima quæque feruntur, figuras audaces & ridiculas inueniunt, vocum translationes hucvsque inauditas excogitant, totúmque dictionis

suæ statum tot externis pigmentis floridiorem reddunt, vt qui rectam de sermone Latino sententiam tenent, cane peius & angue vitandos esse illorum libros admoneant, ex quibus ne si prælo quidem eos subjicias, sanæ mentis guttam vllo vnquam conatu prolicies. Quamobrem si me audis, lane, Nici, ita cum hominibus illis versabere quemadmodum sobrij cum temulentis solent, & graues viri, moderatíque cum personatis, aut senes cum adolescentibus. Denique sicut Cato non semper Floralibus ludis interesse recusauit, ita tu eiusmodi Declamatoribus adesse, cùm istud præsertim vrbanioris vitæ ratio postulauerit non aspernaberis, etsi quid boni interea dum sententiolas suas & Antitheta re-

ta recitant facere velis quo tibi tempus illud non effluat. Maximas Deo optimo gratias habebis quòd te non minùs orationis, quàm tota vitæ ratione voluerit esse illorum omnino dissimilem. Vale Romæ 8 Kalendas Ianuarij 1640.

XCVIII.

Eidem.

TAntùm abest, Iane Nici, vt Dialogus tuus Manuscriptis meis contagio nocere possit, quod ipsum arbitror vtilissimum fore multis hominibus, qui eo perlecto frænum libidinibus suis iniiciendum esse cogitabunt. Præterea mirus est in eo verborum nitor, & eximia prorsus dicendi suauitas, quas orationis veneres & delicias quàm tibi facillimum sit in quolibet argumento repræsenta-

re longè magis ex hoc Dialogo quàm ex ludicris operibus tuis conſpicuum eſt, cùm ipſa propter narrationes facetas & argutias nullum elocutionis pigmentum non admittant, ille verò propter rem funeſtiſſimam, de qua diſſeris,& inſtitutum tuum deprauatos quorumdam mores obiurgandi videri certè poſſit ab omni nitore & ſuauitate remotus, & herclè dubium apud me non eſt, quin omnibus hac potiſſimum de cauſa placere debeat. Quamobrem non putaui mihi committendum eſſe vt illum ex tuo conſilio in Manuſcriptorum meorum arcam conjicerem, ſed publici commodi negotium eſſe judicavi ſi mea opera in lucem prodiret & manibus omnium tereretur. Quod ſi tu præ modeſtia tua non æquè mecum,

mecum, existimas, saltem iure mihi succésere non poteris quod remedium illis exhibeam, quibus a te non sine maxima voluntate ipsorum morbis necessitatibúsque subueniendi præparatum fuit. Vale Romæ 4. Kalend. Ianuarij 1640.

XCIX.

Eidem.

QVid putas, Iane Nici, dictum fuisse Moræum virum illum percelebrem, cuius hesterna die literas de tua Eudemia magnificè prorsus exaratas ostendebam tibi in Bibliotheca nostra, si te in priuato illo virorum omni virtutum genere præstantium consessu de sapientia Dei verba facientem, & ipsomet Flamine, qui tibi præiuerat longè copiosiùs differentem audiuisset. Profectò

mirari ipse satis non potuisset inusitatam vim ingenij tui, quod centum titulis per maximas quasque Disciplinas commeantibus innixum omnibus sustinendis muneribus parem semper adhibet cum innata facilitate diligentiam. Ego verò quem tu nullo meo merito delegisti, quo cum seria tua, non minùs quàm facetias & sales vrbanissimos communicares ex magnitudine virtutis tuæ fortunam meam agnosco, quæ me eo loci vitam agere permiserit vbi te præsens reuereri, & singulis fermè diebus complecti maxima mea cum voluptate possim. Verùm cùm necessitudinis illius quæ mihi tecum est, memoriam satagis reddere sempiternam, & alterum ad me Dialogum tuum de Christo Pastore transmittis fateor me verbanon.

ba non habere, nec inuenire satis idonea vt quantum ego me tibi eam ob rem deuinctum esse profitear, exprimere pro animi mei sententia valeam Neque profectò istud pluribus ostendere conabòr, sed exemplo tuo, qui nascentis Christi ferias sine aliquo tuo ad me munusculo transire voluisti, non permittam vt Kalendæ Ianuariæ, quæ solæ in Gallia mea numerales sunt, studij erga te mei signum aliquod non præ se ferant, quod licet exiguum sit, non tamen a te neglectum iri confido, cùm munusculi istius mei auctorem Patrem Famianum Stradam plurimi semper facere consueueris, & nihil vnquam a me profectum sit, quod tibi, quæ tua est incredibilis beneuolentia, non fuerit acceptissimum. Vale, Romæ,

Kalendis Ianuariis summo manè 1640.

C.

Iacobo Michaloro Viro Clarissimo, Gabriel Naudæus S.P.D.

Urbinum

FEci quod iubebas, Michalori senex optime, non quòd vnquam me in bicipiti somniasse Parnasso meminerim, vt sic repentè Poëta prodirem, sed quia religio mihi fuit non constare officij mei rationem siue erga te, cui plurima me debere profiteor, siue in Academiam nostram, quæ nunquam ita celebris erit quin eam fieri in dies præclaris conatibus vestris longè celebriorem maximopere desiderem, imò verò tota mea & antiquissima in Mutium voluntas, satis ipsa me inducere poterat, vt quam opinionem de

eius

eius non vulgari doctrina semper habui, publico aliquo testimonio declararem si tam fœlix in pangendis versibus fuissem, quàm in celebrandis tanti viri meritis, non solitus sum vlli concedere. Verùm pudet me quidem ruditatis & balbutiei, vt ita dicam, meæ, quam ego dum silentio velare conor, adest statim aliquis ex amicis meis, non dicam, molestus, sed mihi tamen haud ita commodus interpellator, qui me in ruborem conjicere studet, dum illud a me postulat, quod saluis rebus meis præstare non possum. Et sanè licet videam esse eiusmodi versus illos, quos ad te mitto, vt ab obsequio tantùm in te meo laudari possint, non tamen succenseo tibi quod me in tam euidens famæ periculum conieceris; sed oratum te

quam max me velim vt eos, tanquam malè tornatos accuratissimo viro Iulio Veterano flori Academiæ nostræ delibato, cæterisque Vrbinatibus tuis expoliendos tradas; sic enim, quem à me non potuerunt, saltem à vobis nitidiorem cultum nanciscentur, & Mutio Oddo, quem vulgari calamo laudare piaculum est, non erunt forsan indigni. Vale, Romæ 15. Kalendas Februarij 1640.

EPIGRAMMA

In publicum funus celebratum Mutio Oddo Mathematico præstantissimo ab Academicis Vrbinatibus.

Oddus Vitruuij nodos dissoluere doctus,
Doctus & alterutro fundere verba pede.

Ipse

Ipse sibi tumulum viuens fabricare decorum,
Et tumulo poterat carmina multa dare;
Sed proprias cùm nollet opes iactare, nec artem,
Sat moriens habuit, talia verba loqui:
Si iuuat ingenuas vitam coluisse per Artes
Et Patriæ famam conciliasse suæ,
Vos mihi queis Patriæ decus est, & gloria cordi,
Vrbini Proceres, premia IVSTA date:
Dixit, & Vrbinum meritos nunc soluit honores
Extincto Euclidi, Vitruuióque suo.

CI.

D. Hieronymo Bendando Viro clarissimo, Gabriel Naudæus S. P. D.

Bononiam

IVdiciũ de tua prolusione meum non ausus fuissem ad te scribere, nisi Illustrissimus Comes Fabricius qui me semper honestissimis desiderijs obsequentem habuit, mihi insuper ex tua de me honorifica prædicatione hoc ipsum vt facerem stimulos addidisset. Quamobrem legi, vir Doctissime, non indiligenter Herculem tuum, siue Apologiam, quam pro laborum felicitate prolusisti; & herclè si quod ego de illa censeo, ingenuè fatendum est non te ipso tantùm sed ipsomet Hercule digna prorsus mihi visa est, adeò nempe siue robur illius in profligando rationibus valedissimis teterrimo ignauiæ

uiæ monſtro, ſiue eloquentiam in perſuadendo & aureis veluti catentis homines ad laboris amorem pelliciendo feliciter repræſentas, vnde cùm nihil in hoc argumento viderim, quod magis lectorem ſuum afficiat nobili quodam deſiderio nunquam ceſſando, tum etiam qui jucundiùs minoríque cum moleſtia rem omnium moleſtiſſimam, laborem ſcilicet tolerantiam ſuaderet, fateor me hucvſque vidiſſe neminem. Iucundi autem perſuades mi Bendande, quia exemplo primùm tuo dum inter aſſiduos labores vitam traducis, deinde verò præceptis eiuſmodi, quæ ob elocutionis tuæ præſtantiam & floſculos quoſdam ſententiarum, verborúmque ſuauiſſimos bonis omnibus & eruditis majorem in modum grata ſunt,

atque accepta, ac propterea non possum ego tibi de tam exculta Prolusione non summopere gratulari, & mihi quoque non gaudere plurimùm, quòd illius occasione aditum aliquem nactus sim ad amicitiam tuam, quam impostertum ambitiosè colere, & sanctiorem facere quibuscunque modis & officijs potero, non desinam. Vale, Romæ 5. Kalendas Februarias 1640.

CII.

Paganino Gaudentio Viro Clarissimo, Gabriel Naudæus S.P.D.

Pisas.

NEscio profectò vtrum in gratiam, aut in memoriam tuam redire debeam, Paganine, qui forsan ab vtraque diuturno hoc & insolenti meo silentio exciderim, sed tu nisi meis occupationibus ignoscas,

ignoſcas, quæ me licet inuitum procul ab omni Muſarum commercio detinuerunt toto illo tempore, quo nihil ad te literarum dedi, facis quidem parum ex æquo, cùm te pariter ab officio literarum ceſſaſſe mihi ſanè magis nouum quàm graue aut moleſtum fuerit; non certè quòd Epiſtolis tuis mihi poſſit accidere quicquam jucundius, ſed quòd agendum eſſe liberè cum Amicis, nec adeò moroſè in illorum otij, vel negotij rationes inquirendum eſſe, ex vrbanioris vitæ communibus præceptis didici;& verò ne tibi aut mihi occupatiſſimis tempus effluat in eiuſmodi verborum colludio quod non tam fouere Amicorum mutuas inter ſe voluntates, quàm Aulicorũ ſimultates quoddam veluti Siparium obducere

ſolitum eſt, paucis inire tecum decreui eorum omnium ſummam, quorum de cauſa dicam ego tibi ſcribere,tu verò mihi viciſſim negligentiæ notam inurere poſſes. Expectabam igitur a te vt certiorem me faceres num veteris illius Rabbini liber de vita Moſis,quem ex mea tenui ſuppellectile depromptum, atque tuo iuſſu Domino Vincentio Langiero commendatum in tuos vſus deſtinarem redditus aliquando tibi fuerit, nam quid poſtea de illo actum ſit non magis herclè noui , quàm ſi tibi nunquam illius in mentem veniſſet , & æquè multum ferrem librum hunc , quem exemplarium paucitas iſtis in partibus commendatiorem facit , poſtquam a me diſceſſit , non tibi ſed alteri cuipiam ignoto & forſan ignaro , ac ne

ne per ſomnium quidem de vita Moſis illuſtranda cogitanti caſu quodam obtigiſſe. Quamobrem pergratum mihi erit audire ex te qualis tandem munuſculi iſtius mei fortuna fuerit, atque vtinam non diuerſa ſit ab eà, quam libri tui omnes experti ſunt, de quibus nunc eſt mearum partium gratias tibi habere quas poſſum, quandoquidem referre meritis tuis pares ſi vellem, nec tenuitatis meæ conſcius, nec immenſitatis & doctrinæ tuæ iuſtus æſtimator meritò videre: Sed de humanitate etiam tua quam in me tam prolixam ſum expertus, vt huic me immortalitatem meam debere lubens volenſque profitear, quid ego dicere, imò quid cogitare valeo, quod enim vel amplitudini celebrandæ, aut obſeruantiæ, quam

ea de causa me tibi debere profiteor testandæ satis esse possit? Profectò cùm verba non inueniam meo quidem judicio ad vtrumque præstandum idonea, silentio partes suas relinquam Oratori omnium præstantissimo, vt tibi persuadeat verba ea mihi non suppetere, quibus in exprimenda & doctrinæ & humanitatis in me tuæ magnitudini ipsius loco vti possim. Neque est, vir Clarissime, quod in hoc judicio de te meo plus amicitiæ nostræ, quàm veritati datum a me fuisse tibi persuadeas; loquor enim ex animo, qui planè tuis in operibus versatissimus est, quem nullus eorum librorum fugit, quos tu in hunc diem publici juris facere voluisti, qui denique non sibi tantùm hac in re, sed doctissimis hominibus

credit,

credit, quorum nemo eſt, qui jam ignoret te vnum cum Italorum pauciſſimis in omni genere laudis eſſe conferendum. Atque in hoc certè vehementer lætor non diſcrepare ab eorum ſententia judicium meum,cui tu pariter ſi quantum mihi pollicitus es, tribuere velis, nullum aliud negotium tibi prius vllo modo, aut antiquius erit quàm eiuſmodi raceruationes in hiſtoria Eccleſiaſtica poſt Baronium colligere, optimæ enim ſunt & ſua nouitate mirum in modum placent, omniúmque in ſe non minùs mentem quàm manus & oculos conuertunt. Denique maxima etiam illarum & incredibilis eſt vtilitas, quam ſi tu proferre in dies lucubrationibus tuis volueris, auguror futurum vt Baronio non tantùm maximam lu-

cem afferas, ſed cum eo etiam venias in partem eius laudis quæ hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſi non conditori, ſaltem amplificatori, locupletatorique meritiſſimo debebitur. Neque video te in vllo alio labore majori tua cum gloria aut communi rerum Chriſtianarum emolumento verſari, quàm in iſto poſſe. Inſtar autem Academicum mihi etiam in omnibus probatur præterquam vt liberè tecùm loquar in hac prima voce, quæ licet mihi non prorſus diſpliceat, nouitatis tamen videtur habere plurimum, & pauci, quæ mea forſan ac illorum inſcitia eſt, intelligere commodè poſſunt, cuiuſnam exemplo, aut qua tandem a te ſignificatione vſurpata fuerit. Quare ſi me de illa pauliſper monere volueris, non meo tantùm & quorundam

rundam Amicorum tuorum desiderio satisfacies; sed nihil insuper alienum ab officio tuo præstabis, quod non tam ab alijs discendi, quàm cæteros omnes docendi munere continetur. Cæterùm cùm hesterna die nunciatum mihi Patauio fuerit, Caterinum Diamantium qui literas humaniores ibidem docebat, in paritate, vt inquiunt, loci cum Octauio Ferrario supremum diem egisse, subit statim eius recordatio, quod in postremis tuis mihi dixeras circa discessum, quem aliò vocatus meditabare ex Athenæo illo tuo, & sanè cùm antea non viderem quis te locus in Italia excipere pro merito ac dignitate tua posset eo excepto, qui Bononiæ vacuus semper ab obitu magni illius Sigonij relictus est, nunc verò minimè du-

bito quin ſi te non deſeras eam quoque in Academiam vocari poſſis, quæ reliquarum in Italia facilè princeps eſt & paucis quoque earum quæ alibi ſunt, dignitate concedit. Vnde cùm videretur multum intereſſe ad eam neceſſitudinem, quæ mihi tecum ſuſcepta eſt, vt quàm celeberrimè fieri poſſet certiorem te de Lectoris illius Patauini interitu facerem, nolui propterea committere vt occupationum mearum potior eſſet apud me, quàm iſtius officij ratio, quòd tu, Paganine Doctiſſimæ, boni, vt opinor, conſulere non dedignaberis tanquam ab homine profectum, qui vt debet, amicitiam tuam facit plurimi, idque vt intelligas pro virili ſemper elaborabit. Vale, Romæ 4. Kalendas Februarias 1640.

CIII.

CIII.

Iano Nicio Erythræo, Viro clarissimo, Gabriel Naudæus S. P. D.

Romam

CVm in Dialogis versarer, quos ad me postremos hesterna die misisti, venit mihi in mentem duorum temporum, quorum licet neutrum præsens, sit, vtrumque tamen in illis mirum in modum scitè, conuenientérque designasti. Nam ex selectarum vocum & piarum simul meditationum apparatu quo fuerunt a te conscripti, quis amabo sibi non persuadeat reflorescere melioris eloquentiæ tempus, quod jam inde a multis sæculis elapsum est, aut esuriales ferias, quæ vitæ sanctiori dicatæ, & aliquot adhuc post septimanas futuræ sunt, anteuertisse potiùs non existimet. Sa-

nè non puto Ciceronem facundiùs vnquam aut puriùs locutum fuisse, nec Diuum Gregorium suos Dialogos magis ad piorum hominum mentem contexuisse, quàm tu, vir Clarissime, fecisti dum eximiam fandi dulcedinem, quæ tibi propria est, sacrorum argumentorum tractationi feliciter accommodas; certè gratissima conjunctione Religionis, cum eloquentia & mentis cum lingua pulcerrima illa Dialogorum tuorum forma consurgit, quæ non me solùm, qui tibi multis aliis de causis sum addictissimus, sed reliquos omnes, qui te, vt inquit Phædrus, *sermone tantùm ab ipso* cognóscunt, oppidò rapis in tui maximam admirationem & desiderium. Verùm cùm videam te has animi tui præstantissimas, dotes in honorem atque

que vtilitatem meam conuertere, omnesque Dialogos tuos, qui singuli, totidem Amicis tuis cohonestandis, pares esse possent, mihi vni tantùm velut ex compacto destinare, cogor imprimis eloquentiam tuam & incredibilem omnino diuinarum rerum scientiam admirari, deinde verò humanitatem etiam, qua me absque vllo meo merito complecteris & hac tua scientia & quouis alio miraculo potiorem ducere. Neque profectò desinam vllo tempore in tanti beneficij memoriam tibi pro eo ac debeo, voluntatem, obsequium & corpus ac animum meum lubens, voléńsque præstare, quandoquidem minoris emi nō potest Immortalitas illa, quam mihi ex immortalibus tuis & pene dicam, Diuinis Operibus polli-

ceri haud injuria possum. Vale, Romæ 1. Kalendas Februarij 1640.

CIV.

Illustrissimo & Reuerendissimo Domino, D. Consaluo Durando, Antistiti Feretrano, Gabriel Naudæus S.P.D.

Feretrum

NEcessitudo illa, quam tecum inire cœpi cùm in Flaminia versarer, nunc demum in causa fuit, Consalue, Antistes doctissime, vt post septennium, quod mihi procul a te consumptum est, non verear eadem confidentia literas ad te dare, qua solent alij, qui nunquam eo angustiarum redacti sunt, vt propter varias, molestissimásque occupationes cessare ab officio in te suo coacti fuerint. Etsi enim obliterari tam diuturno silentio memoria mei ex animo

nimo tuo potuerit, facere tamen injuriam miræ tuæ humanitati & constantissimæ in Amicos tuos voluntati merito viderer, si quicquam de te mihi persuaderem, quod esset, a præclaris illis virtutibus tuis, aut obseruantia in te mea prorsus alienum. Quamobbrem beneuolentiæ tuæ securus nolui culpam admittere priori isti diutinæ cessationis meæ longè grauiorem & ex cõtinuato quamuis non sponte per aliquot annos silentio, in perpetuum, illudque etiam voluntarium deuenire; maximè cùm ex literis meis te conueniendi, atque peruetus obsequium meum tibi in memoriam reducendi oblata esset occasio, quam negligere sine flagitio non potui. Verùm quia literas meas tanti fore non existimabam vt

earum solùm de causa a grauissimis occupationibus tuis interpellari deberes, comitem illis adjunxi librum meum de studio Militari, quem si tu quoties feriari a melioribus studijs volueris, in manus sumas, præterquàm eum a materia de virtutibus & vitijs, quàm exquisitis commentarijs illustrandum suscepisti, non esse penitus diuersum inuenies. Cumulabis me insuper eo honore quem mihi gratissimum fuisse, conabor imposterum omni ope, & consilio, ac perpetuo in te obsequio meo vt cognoscas. Vale, Antistes optime,

Romæ Nonis Februarij 1640.

CV.

Iano Nicio Erythræo, Viro Clarissimo, Gabriel Naudæus S.P.D.

Romam.

ABundantia tui ingenij collata cum mei paupertate facit non solùm vt amoris in me tui præclaris & frequentibus testimoniis perfruar, sed ne ingratus in te videar, etiam si mutuis eam officiis remunerare pro eo certè ac deberem minimè possim. Nam tu, Iane Nici, ob studij pertinaciam, frequentem & eruditam lectionem scriptionemque assiduam & ferè quotidianam nullo in labore ducis Epistolas, Dialogos, carmina & fabellas quoque lepidissimas ea lingua scribere, qua Plautus & Terentius suas nobis reliquerunt, quæ omnia post-

quam a te scripta sunt, non tam illustribus viris & magnis nominibus legenda tradere, quàm tibi, Amicis & familiaribus consueuisti. Ego verò quem istius liberalitatis tuæ & fructuum, qui ex illa vberrimi proueniunt participem esse non semel voluisti, licet in eadem sim voluntate mutuò quædam ad te scribendi, vix tamen est, propter molestissimas occupationes, quibus distineor, vt tempus ad hoc negotij satis commodum inueniam. Et sanè quamuis expedire me ab omnibus impedimentis facili negotio possem non video certè in tanta virium mearum imbecillitate, & quod antea dicebam, ingenij paupertate quid auribus tuis, quarum judicium superbissimum est, si velim honori meo consultum iri,

com-

committere debeam. Quare vt illas minùs offendam rudi, & inconcinno sermone, contraham illum inter augustias præsentis Epistolæ, & si paucioribus verbis gratias tibi potuissem habere de Dialogis tuis, de literis, de innumerabilibus beneficiis, quæ a te collata in me fuisse profiteri, quamdiu sospes ero non desinam; illud profectò fecissem lubentissimè ne quàm antea de rebus meis opinionem habuisti, hanc deponas, si productior oratio infantiam meam tibi prodiderit, aut parùm è re tua factum fuisse tibi persuadeas, quod Dialogorum tuorum de rebus Diuinis custodiæ & editioni nonnunquam futuræ tam rudem, ac ineptum hominem præfecisti. Cæterùm Epistola tua de eorum ambitu coercendo qui-

præpropere nimis, vt ita dixerim Episcopaturiunt majorem in modum Eminentissimo Dynastæ meo probata fuit, & herclè puto illum, vt antea semper eiusmodi prensationibus inimicum se præbuit, sic multò minùs commissurum deinceps vt suffragio suo quisquam eorum, qui fautoribus, non autem propria virtute viam sibi ad honores muniunt, in Episcoporum album referatur. Atque vtinam eorum omnium, quos tu quidem in Eudemia tua sub Dynastarum nomine toties compellasti, eadem mens esset non eum tantùm Ecclesiasticæ disciplinæ & moribus honestis periculum immineret a falsis fratribus, qui simulatæ paupertatis voto abutuntur vt ad summas opes faciliùs conscendant, & quo liberiùs inter ho-

homines versentur, pridem se ab illis discessisse, nihilque sibi a Mundo commune esse, impudenter simulant, ita nimirum istî laruas agunt vt toto vitæ suæ tempore & solemnibus publicísque pollicitationibus de contemptu diuitiarum, de solitudine retinenda, de castitate & obedientia præstanda per summas intemperies illudunt, quasi Religionem habere ludibrio solis impunè liceat, qui se peculiari titulo Religiosos esse profitentur. Sed plura non addo, Iane Nici, ne quem elinguem fermè in tuis virtutibus prædicandis expertus es, facundum nunc esse in aliorum turpitudinibus exagitandis deprehendas, neque tamen ab eiusmodi hominum sordibus tibi in præsentia cautum esse nolim, qui scopas Reatinas quas illis euerrendis

maximopere idoneas esse animaduerti, tibi in hunc potissimum vsum transmittendas esse duxi. Tu modò vide ne illas vnquam a triclinio & conclauibus tuis abesse permiseris. Vale, Romæ 12 Kalendas Maias 1640.

CVI.

Viro Clarissimo, Domino Gaspari Scioppio, Gabriel Naudæus S.P.D.

Patauium

Cùm mihi sub discessum proximi Tabellarij literas ad te dare non vacaret disertissime Scioppi, libellum Epigrammatum saltem dedi, quoniam ipsum non aliunde, quàm ab auctoris sui Musæo tuas in manus peruenire maiorem in modum desiderabam, & verò si quid in hac officij festinatione commissum a me fuerit, contra quam vrbanitatis ratio po-

postulet, velim eadem facilitate culpam hanc mihi a te condonatum iri, qua te paulò quidem antea vsum in me fuisse ex Hilario tuo perspexi ne diuturni silentij mei causæ tibi graues aut molestæ forent. Cum autem Hilarium dico, juuenem illum intelligo cultissimum moribus & doctrina qui me cùm aliquot abhinc menses ex nomenclatura, quam illi tradidideras, conuenisset. Gauisus primò sum non mediocriter quod in illo amicorum tuorum censu, mei quoque rationem habere volueris, deinde verò hominis a te mihi commendatum si non lautè, adeò tamen cupidè, peramantérque sum complexus vt cognosceret liquidò potuerit non tam animum, quàm angustias rei domesticæ mihi impedimento fuisse ne libera-

liùs in eo ſubleuando obſequij in te mei rationem explicare potuerim. Hoc autem quia Hilarium puto pro eximia ſua probitate fuſiùs ad te retuliſſe non immorabor in illis diutiùs, neque etiam ſermonem meum eò conuertam vt magno verborum apparatu tibi ſignificem neminem hodie mortalium eſſe, qui me vno ſit, non Aſtrologis quidem ipſis, ſed eorum futilibus diſciplinis infenſior, nam ſatiùs eſſe duxi cùm aliqua ſe obtulerit occaſio commoda tranſmittere a te vel quæſtionem meam de fatali aut naturali vitæ termino, vel Syntagma de ſtudio Militari, ex quorum alterutro ſententiam de hac re meam facili negotio deprehendas, & herclè non poſſum iſtis Bacchanalibus inter creperas eorum voces,

ces, qui tot personatis Morionibus applaudunt longiores Epistolas dare. Tu verò, Vir Maximè, qui sedato iam apud vos simili tumultu istas accipies, si me obstringere velis beneficio, quod memoria colam sempiterna, non breuiter ad eas respondebis, sed vel censuram tuam in Epigrammata mea, vel aliquid aliud rescribes ex quo tuum in me, erudiendo studium posteritas ipsa deprehendat, quandoquidem istum summo mihi futurum esse non emolumento tantùm, sed honori & gloriæ fungus sim, si non intelligam. Vale, Romæ
5. Idus Februarij
1641.

CVII.

D. Hieronymo Bendando, Viro clarissimo, Gabriel Naudæus S.P.D.

Bononiam

SEriùs ad te ſcribendi, Doctiſſime Bendande, multæ mihi cauſæ fuerunt, ſed omnes tamen ſupra quam dici aut cogitari poteſt, graues ac moleſtæ; nam debenti tibi perſoluere non vulgaris gratiæ ſignificationem ob tuæ in me propenſiſſimæ voluntatis teſtimonia, quid magis aduerſum eſſe potuit quàm iſtud non ſine aliqua ſuſpicione tarditatis ac officij etiam neglecti præſtitiſſe. Verùm quia mihi non erat integrum eius imperij morem gerere qui me dudum ſibi maximis beneficijs totum addixit vna eadémque opera a literis tuis ædepol caſtigatiſſimis pro eo certè ac voluiſſem facere ſatis

ſatis ; malui in eum peccare , qui humanitatem illam quam a Muſis accepit , ſciret in Amicos quantumuis culpæ affines refundere. Neque propterea confitentem reum habes quòd me culpæ vicinum fuiſſe profitear , cùm interea non ceſſarim in Aulicis noſtris conuentibus ſtyli tui amœnitates effundere circumſcriptas in maximarum ſententiarum grauitate, periodos laudare, téque vnum eſſe hoc tempore qui Lipſianorum & Puteanorum inſtar , gratiſſimo cum lepore ſcribas , aſſerere cuius rei teſtem non ſemel in medium attuli Solem illum,quo tibi non ſecùs atque D. Benedicto lucis abundè fœneraſti. Neque profectò vllum inuenio tam rigidum in alienis laboribus æſtimandis , qui ex deliberato , vel captim ablusio

ne tua mecum idem non censeat. Quamobrem est quod tibi multùm gratuler cui tam propitiæ Musæ fuerunt, nulli vt elegantia concedas, & mihi etiam non mediocriter gaudeam noua illa accessione dignitatis, quam ex instituta tecum necessitudine futuram mihi spondeo apud literatos omnes, quos exculti ingenij tui præstantia latere non potest & sanè quo meam hanc de te sententiam ab optimo animo & meritorum tuorum scientissimo profectam esse cognoscas, non modò me ipsum, sed libellos quoque meos tibi probari vehementer desidero, postquam scilicet Incomparabilis Licetus noster copiam tibi Syntagmatis Militaris & Archiui Reatini meo nomine fecerit, ac etiam carmina, quæ mihi nescio vt aliud

agenti effluxerunt vnà cum iſtis per Tabellarium acceperis, tunc enim nihil de me aut libris meis ſtatuere poteris quod mihi non ſit vel a te probato ſummum honorem, vel etiam admonito plurimum commodi, atque vtilitatis allaturum. Vale Romæ 6. Kalendas Martij 1641.

CVIII.

D. Andreæ Taurello, viro clariſſimo, Gabriel Naudæus S.P.D.

Bononiam

QVod mihi nunquam antea accidit, vt tardum nomen ab Amicis haberer, feciſti, Doctiſſime Taurelle, humaniſſimis literis, quas ad me dediſti iſtud nunc vt negare non poſſim mihi contigiſſe, nam cùm tu circa Kalendas Apriles anni 1641. ſcripſiſſes, ego tantùm ad Martias ſe-

quentes quasi vndecim mensium interuallo tui prorsus fuissem oblitus respondeo; sed eloquentiæ tuæ vis maxima, & laudes præsertim, quas in me ad inuidiam vsque contulisti, pudorem mihi, non obliuionem injecerant. Quamobrem cunctatione aliqua discutiendus ille fuit priusquàm ego quantum me tibi hoc officio deuinxeris significare verbis, aut scriptione vlla satis idonea possim: at interea dum in istis hæreo tot mihi occupationes molestissimæ, tótque superatis illis noua negotia quanquam à Musis non ita forsan diuersa sese obtulerunt, vt dum me ab illis atque istis explicare totis viribus contendo, non mihi per temporis angustias integrum fuerit eam ad te responsionem dare, quam tu nisi æquè humanus ac elegans

elegans fuiſſes vel conuitio flagitare a me potuiſti. Quod igitur in tuis de Syntagmate meo judicium feciſti, iſtud eiuſmodi eſt vt beneuolentiæ in me tuæ potiuſquàm veritati acceptum ferri debeat, etenim ſi librum hunc ſagaciſſimis illis oculis perluſtrare voluiſſes, quibus ea, quæ ad Amicos tuos non pertinent, euoluere conſueuiſti, dubium apud me non eſt, quin de eo ſecùs tibi fuiſſet pronunciandum, ſed τῆς μακρολογίας faſtidium lectionis feſtinatione ſubleuandum erat, & ego ſanè tam iniquus libris meis non ſum vt ab amicis laudati minùs idcircò mihi placere debeant. Quamobrem ago tibi de illa tua in me propenſionis ſignificatione gratias ampliſſimas, méque vt antea ſemper habuiſti, ſic multò magis

imposterũ habiturus es γνησιώτατον summæ tuæ eruditionis admiratorem, quo non secus officio in te meo possim quàm præclaris tuis & ingentibus meritis satisfacere. Cæterùm quod a me quæris num ex antiquorum disciplina puellæ haud aliter quàm apud Virgilium,

——————————Nerea doto
Et Galatea secant spumantem pectore pontum,

Natando se quoque in priuatis balneis exercerent; næ tu me Oedipum putes, aut Sphyngẽ mihi esse domi, qui rem quam adeò sedulus priscorum rituum indagator per te ipse inuenire non potuisti, hanc judicio meo tibi patefectum iri non desperes, sed frustra es, mi Taurelle, neque enim memini me legisse aliquid in veterum monumentis, quod opinioni tuæ

tuæ fulcrum esse possit. Quinimò Valerius refert Clœliam equum priùs conscendisse, quàm Tyberi se committeret, quod quidem signum est eam non instructam antea fuisse natandi peritia, & verò si quid vnquam simile ab aliis puellis tentatum est,miraculi loco celebratum hoc ab historicis fuisse,nullus est qui nesciat. Vnde quando tibi visum aliter fuerit, oro te per humanitatem, obtestórque ne mihi penitùs in ea re cæcutienti facem præferre graueris. Valent omnes illi perbellè, quibus tuo nomine salutem dixi non semel, tibíque vicissim obsequium suum offerunt, ac in illis præsertim Comes Vbaldinus existimationis tuæ studiosissimus est, vellet, opinor, promissorum te memorem fore, atque vt autem

de illis tibi vellerem non ſemel admonùit. Hoc verò nudis verbis ne faciam, libellum ad te mitto, quem eius ac Illuſtriſſimi Puteani clientelæ licet exiguum ac propè nullum commiſi, Tabularium autem Reatini Templi reddet tibi θαυμάσιος Licetus, ad quem, non ita dudum eſt, quod tria Exemplaria, vnum tibi, alterum Argolo, tertium Bendando noſtro inſcriptum deſtinaui. Quamobrem reliquum eſt vt geminum hunc ingenij mei fœtum æqui boníque conſulas, méque nomini tuo addictiſſimum amare, quemadmodum antea feciſti, non deſinas. Vale, Romæ 6. Kalendas Martias 1641.

Illuſtriſ-

CIX.

Illustrissimo & Reuerendissimo D. D. Consaluo Durando Antistiti Feretrano.
Gabriel Naudæus S.P.D.

Feretrum.

ADeò me deuinxisti prolixa illa & humanitatis iuxta, doctrinæque plenissima Epistola, quam ad me dedisti, Consalue Durande, Antistes eruditissime, nihil vt mihi æquè in præsentia molestum sit, ac negotiorum meorum ratio, quæ vt antea mihi impedimento fuit ne officio tibi respondendi maturè possem satisfacere, ita nunc in causa est, vt quas tibi de ea vellem habere gratias paucioribus exprimere cogar, quàm aut obseruantiæ in te meæ, quæ summa est, aut egregiis, amplissimísque tuis in me meritis

conueniat, ſed mihi in Aula & ea præſertim Romana viuenti, quæ tota in obeundis officiorum vel obſequiorum muneribus poſita eſt, ac nonnunquam etiam neſcio quid nugarum meditanti, minimè vitio verti debet ſi in hac mutua literarum viciſſitudine contra quam mihi libero vſu veniret cunctator euaſerim. Dico igitur tibi, Conſalue, Vir Illuſtriſſime, & ex animo dico nunquam me pleniori gaudio cumulatum fuiſſe nunquam maiori honore affectum, quàm eo, quo me pro innata tua in omnes, qui literas amant, beneficentia tam luculentis literis tuis & cumulandum & afficiendum eſſe duxiſti. Nam cum Epiſtola de tuis aliqua breuiter feruiore ſcripta, quo ſolent aliæ, quæ de rebus domeſticis ad Amicos

cos aut familiares mittuntur, beare me potuisset, quid ab ea mihi ſperandum non eſt quæ voluminis inſtar eſſe poſſit & iis de rebus ſcripta ſit, quarum maxima ſolent eſſe in belli, paciſque tractatione momenta. Profectò exiſtimabit poſteritas ex illa tua Epiſtola me non fuiſſe hominem prorſus nihili, & famam, quam laboribus meis conſequi non poſſum, tuus iſte immortalitatis iam ſecurus mihi conciliabit, idémque auxilio erit Syntagmati meo de ſtudio militari vt in eruditiſſima tua de rebus bellicis diſſertatione toties a te laudatum, reliquis etiam qui tuo iudicio plurimum tribuunt improbari non debeat. Quamobrem ſentio ego vim beneficij illius in me tui fuiſſe maximam, cui propterea ſi pares gratias referre vel-

lem incassum niterer cum animo faciliùs comprehendi quàm verbis quantumlibet exquisitis significari possint. Hunc igitur tibi deuoueo, Antistes Illustrissime, méq; totum in ipso, quem tot nominibus tuum esse voluisti. Verùm nisi occasionem mihi præbeas vt talem me esse erga te officiis meis declarare possim, vitam non qualem mihi diuino illo beneficio tuo hilarem & iucundam esse voluisti, sed acerbissimam experiar. Vale, Romæ pridie nonas Febr. 1641.

CX.

Clarissimo & Eruditissimo Viro D. Ludouico Mariæ Suaresio.
Gabriel Naudæus S. P. D.

Auenionem.

QVantus sis in vtriusque linguæ palestra, nunc demum agnos-

agnoſco, Ludouice Suareſij, Vir Clariſſime, qui fructum capio earum literarum vberrimum, quas & antea quidem Gallico, & nunc etiam Latino ſermone puriſſimo exararas, dare ad me his poſtremis diebus voluiſti: Neque modò fructum, ſed voluptatem ex illis percepi ampliſſimam ob ſingularis & propenſæ tuæ in me voluntatis ſignificationem, quam ego ſi non libenter amplectar méque tibi de illa non vulgaribus modis obſtrictum agnoſcam erit profectò cur ingrati erga te animi meritò poſtuler, ſed non committam vllo vnquam tempore obſequium, vt meum deſiderare poſſis in illis præſertim rebus, quæ mutuæ noſtræ amicitiæ firmandæ vſui eſſe poſſint, in quibus procurandis licet æqualem meritis tuis,

atque officio meo facultatem afferre non possim, voluntatem tamen spondeo, quæ votis vtriusque nostrûm adimplendis satis esse possit. Cæterùm quod mihi de literis, quas ad te nuper Eminentissimi Cardinalis mei nomine dedi, tam ingentes gratias habere voluisti, fecisti quidem quod humanitati & vrbanitati tuæ summopere consentaneum erat, sed meum potiùs esset veniam a te petere, quod viri Principis animum, qui in te, fratrémque tuum Illustrissimum Vasionensem Episcopum propensissimus est, satis pro eo ac debebam verbis exprimere non potuerim. Et verò si quid à me deinceps eadem de causa peccatum fuerit, obtestor te, Ludouice Doctissime, ne tibi molestum sit æqui bonique consulere seu tenuita-

nuitatem facundiæ meæ, seu etiam mentis imbecillitatem, quarum alterutra mihi sæpissimè impedimento est ne prout ipse vellem officio meo fungi in Amicos, ac ne dum in Patronos meos possim. Nempe ita illis contingere solet, quos tenues ingenij opes, exigua quædam eruditionis opinio supra literatorum vulgus non attollunt, tu verò licet de me secùs existimes, nunquam tamen obtinebis tuo vt iudicio volens acquiescam, qui propter eximiæ fidei studium polliceri de me quidquam aliud nec possum, nec debeo. Vale, Romæ 8. Idus Aprilis 1641. Negotium Illustrissimi Domini Vasionensis ita curaui quemadmodum ex meis ad illum literis deprehendes.

CXI.

D. Iacobo Gaddio Patricio Florentino, Gabriel Naudæus S.P.D.

Florentiam

VVlgaribus beneficiis ſoleo ego, Iacobe Gaddi, vir illuſtriſſime, verbis multo à me delectu ex veſtro, aut Gallorum meorum ſermone vernaculo depromptis gratias agere, quales vel officiorum eiuſmodi ratio, vel Amicorum inter ſe domeſtica conſuetudo poſtulat. Neque enim puto literatiſſimos homines, quibus cum aliqua mihi familiaritas intercedit, ea libertate mea offendi poſſe quæ maximam potiùs ad amicitiam variorum inter nos munerum viciſſitudine diligenter colendam incitamentum eſſe debet. Verùm cùm eximia quædam Amicorum promerita grati ſaltem animi

animi significatione prosequenda sunt, tunc quantum ego possum viribus contendo vt exquisita illa sit & ad nobilioris linguæ normam elaborata. Atque hoc sanè tua nunc de causa mihi faciendum est, Doctissime Gaddi, qui singularibus officiis, quæ in me plurima semper contulisti, hoc demum etiam reddere voluisti, vt in præclarissimam Suogliatorum, quam vos dicitis Academiam admitterer, quod mihi adeo honorificum esse duxi, nullæ vt literæ mihi vnquam chariores fuerint his ipsis, quibus me de lato ab Academicis tuis eiusmodi decreto certiorem fecisti. Quamobrem ignosces primùm si seriùs quàm oportuit, deinde verò si minùs aptè conuenientérque ad illas respondeo, nam humanitas tua, quæ nihil ab

Amicorum commodis diuersum postulat, mihi primum istud vt facerem quanquam inuito & molestissimis occupationibus irretito non difficulter induxit. Secundum autem quominus declinare potuerim beneficij tui magnitudo in causa est, quam verbis exprimere pro vt vellem amplissimis, quoniam opis meæ non est, illud modò reliquuum foret vt propensam hanc in me tuam, simúlque Nobilium Academicorum voluntatem eloquenti silentio venerarer, sed cùm Academia isthæc tua mihi jam plurimum ornamenti, plurimúmque splendoris attulerit, spero quoque breui tantum in me ex illa rediturum esse eruditionis & facundiæ, vt si non æquandæ incredibili tuæ, & præstantissimorum Academicorum erga me beneficen-

neficentiæ, satis esse possit obseruantiæ saltem, quâ vos omnes continuò prosequar, magnitudinem declarare luculentiùs valeat. Interim verò tuum erit, Clarissime Gaddi, negotij aliquid meditari in quo fidem tibi facere possim, quantum me ob acceptum excellens istud, valdéque præclarum & illustre beneficium tibi juxta, Academicisque omnibus qui tuam in sententiam volentes fauentésque ierunt deuinctum esse profitear. Vale Romæ Idibus Aprilis 1641.

CXII.

D. Andreæ Taurello Viro clarissimo, Gabriel Naudæus S.P.D.

Bononiam

CVm ego prolixam tuam in Amicis voluntatem, Doctissime Taurelle, plurimi semper mihi faciendam esse duxerim, tum

verò quam in me nuper ostendisti præclara illa versuum, quos ad te miseram, commendatione, non potui majorem in modum non suspicere, méque eo potissimum nomine fortunatum existimare, quòd hanc a te fuerim promeritus. Est enim verbis expressa tam nitidis, tam illustribus & castigatis nihil vt ornatius, vel elegantius esse possit; affectus præterea non minimum præ se fert, & judicium etiam eiusmodi, quod asserendæ in posteritatem nominis & studiorum meorum famæ satis esse possit. Quamobrem habeo tibi de hoc beneficio gratias, quas possum amplissimas, sed ne mihi tandem in conuitium vertatur apud illos, qui non eodem, quo tu animo nugas meas euoluunt, obtestor te, vir Doctissime, atque obsecro ne me
amplius

ampliùs literis in ſpeciem exaratis ornare pergas, ſed vulgaribus illis & domeſticis, quas in fruſtra diſcerpimus admonendum potiùs atque etiam obelis tuis confodiendum ſuſpicias, nam ſi mitiùs mecum egeris futurum reor vt amicitiæ tuæ fructu non ſecus ac aliorum laudibus & conſcientia etiam duiſtæ meæ mihi prorſus carendum ſit. Vale. Vbaldinus noſter & Corollæ, quibus ſalutem dixi tuo nomine plurimam, obſequium viciſſim ſuum tibi pollicentur, ac ille præterea quid Opuſculis tuis factum ſit, quorum hîc cùm eſſes ſpem aliquam nobis injeceras non minùs ſedulò quàm auidè quærit. Romæ, pridie Idus Aprilis 1641.

CXIII.

Perillustribus & admodùm Reuerendis, Archidiacono & Canonicis Majoris Templi Reatini, Gabriel Naudæus S.P.D.

Reatem.

POst desudatos mihi, licet in mediis præcedentis anni rigoribus, quinque Menses integros in Tabulario vestro a situ & puluere, in quo non incuria vestra, sed temporum perturbatione iacebat vindicando; in Clarissimi Viri, vobis illud restituo ex squallenti nitidum, ex raucido purgatum, ex lacero integrum, ex confuso ordinatum, atque vt verba in pauca contraham ex inutili & despecto, cuiusmodi istud hactenus fuisse, vestrûm vnicuique conspectum est, dignum profectò quod priuatis vestris commoditatibus, & publicis

cis etiam studiosorum hominum laboribus, non minimum afferat emolumenti. Neque enim si reliquiæ tantùm supersint ex magno & instructissimo quondam Archiuo, propterea illæ negligendæ sunt, nisi forsan aliquis excellentium signorum truncos, artus, paruifaciendos ducat, eo quòd Polycleti & Phidiæ opera haberi ampliùs integra non possunt, aut lapidum pretiosorum fragmenta nullius esse virtutis censeantur, quoniam de magnitudine quam priùs habebant, aliquid illis nescio quo casu fuerit ademptum. Hoc verò facere sicut hominis non est, qui suo judicio rectè vtatur, ita vos quibus ex mirifico prorsus Antiquitatum thesauro, memoriæ illæ relictæ sunt, quæ paucis alijs, meo judicio, vetustate con-

cedant, diligentem operam nauare oportet, ne rurſus eadem tempeſtate abripiantur, qua priores alias ex ſecretario veſtro fuiſſe ſublatas, nemini non exploratum iuxta, atque dolendum eſt. Quare poſtquam ſapientiſſimus veſter Antiſtes, idémque Dominus meus & Mœcenas munificentiſſimus Ioannes Franciſcus Cardinalis a Balneo, inter alia quæ veſtrûm omnium & officij ſui de cauſa, facere conſtituit, iſtud etiam paterna ſua dignum ſollicitudine arbitratus eſt, vt rerum veſtrarum chartas, quas palantes eſſe, ac nullo ordine, nulláque peculiari diligentia cuſtoditas animaduerterat, in eum locum reponerem, quem vos cum Grẹcis γραμματοφυλάκιον, χαρτοφυλάκιον, ἀρχεῖον, ſiue cum Latinis Tabularium, Tablinium, Secreta-

cretarium, principum, & Archiuum denique pro arbitrio veſtro appellare poteſtis. Iſtud etiam non tantummodò fore muneris mei ſtatim intellexi, vt veteres illas memorias ſtudiosè, diligentérque conquirerem, aut ipſas in eum ordinem redigerem, quem rebus veſtris eſſe commodiſſimum, vſu ipſo & experientia deprehendetis, ſed mihi præterea optimum factu viſum eſt, ſi earundem ſcripturarum ſyllabis, quem vobis offero, ea demum præfatione munitus ad vos perueniret, ex qua cùm Archiui veſtri præſtantiam longè faciliùs intelligere, tum verò eiuſdem conſeruationi proſpicere multò libentiùs poſſetis. Atque vt de primo dicere aggrediar, inde vſque repetita temporis memoria quo Tabulariorum omnium dignitas, ſi

non penitùs labefactata, saltem miserabiliter immunita est: cùm Italia post excisos Romanæ magnitudinis neruos, sæpe & per partes a diuersis gentibus occupata, adeóque magnis bellorum tumultibus diuexata fuerit, vt furoris illius, quo passim inter se, aut cum indigenis tot aduenæ gentes decertarunt, vestigia quotidie sub oculos incurrant, nihilque tam eximium, innocens, aut sanctum fuerit, in quod hostilis rabies non inuolarit, ferro, igne, vastitate quacumque transiret, fœdissimæ suæ immanitatis notas, ipsis etiam parietibus & saxis cùm alibi non posset, insculptas relinquens. Ex eo quoque factum est vt multæ iam in ea Ciuitates, non modò splendorem vllum a priuatis aut publicis substructionibus retineant,

ant, ſed ne quidem eas tabulas & diplomata proferant, quæ veluti patriæ laudis ornamenta certè, vel teſtimonia fidiſſima conſeruari in ipſis ſumma cum diligentia conſueuere. Et ſanè cùm ego præcipuis in Flaminiæ & Vmbriæ ciuitatibus veteres eiuſmodi memorias curioſiùs inquirerem, frequenter audiui Ciues ipſos paupertatem in hac re ſuam accuſantes, eóq; tantùm argumento purgantes ſe ab omni culpa, quod factiones domeſticæ, bella externa, conflagrationes, tempus denique & vetuſtas ipſa tantam medius fidius, & tam luctuoſam cladem intulerant. Quæ quidem omnia cùm attentè conſidero, ſubit profectò veſtram, Clariſſimi Viri, in tanta reliquarum vrbium vaſtitate & miſeria

felicitatem suspicere, nam cùm illæ quidquid chartaceæ supellectilis habebant, communi illo naufragio amiserint, vos sallem tot ex eo tabulas saluastis, vt ipsa Tabularium denuò conficere potuerint, quod nulla sui parte mutilum videri debeat, nisi quàm solemnibus olim Auctographis omníque diplomatum genere copiosius instructũ fuerit, ex libera vestra confessione patescerer. Etenim quis non facili negotio illibatum istud Archiuum fuisse sibi persuadeat in quo etiamnum hodie visantur Donationes sub Desiderio & Adalgisio Langobardorum Regibus factæ: in quo sint Testamenta annos abhinc septingentos condita: in quo venditiones & permutationes reperianrur non Gothicis tantùm sed ignorabilibus literis

exaratæ : in quo tot Episcoporum vestrorum acta & nomina supersunt, tot familiarum vrbis vestræ tempora signantur, tot denique veteres memoriæ & Instrumenta tempore ipso vetusta encausto splendida, ceráque & multiplicibus sigillis aduersus impostorum fraudes, & technas munita conseruantur. Verùm quoniam hæc omnia meipso etiam tacente, aut ex Archiuo vestro, aut ex præsenti Syllabo, cognoscere potestis, non immorabor in illis diutiùs neque profectò committam vt quãtum ex hoc meo labore non tantummodò in societatem sed vrbem vestram vtilitatis rediturum sit, cum odiosa quadam de me prædicatione commemorem, maximè cùm per vos ipsi satis illud deprehendere positis & experiri

quoties libuerit num ad Templi vestri decorem illustrandum, ad reditus vestros particulares augendos, ad auctoritatem Cœtus vestri retinendam, ad ipsius vrbis vestræ fastos, annaléſque conficiendos, aliquid vnquam excogitari potuerit ipsa Tabularij vestri Instauratione & ordinatione, quam feci, magis accommodatum. Superest, modò vt quemadmodum antea me facturum recepi, breuiter vos admoneam, quàm sollicitè profectò, diligentérque curare debetis ne huic vestro Tabulario, quod inuiolabile & sanctum esse debet, aliquid deinceps inferatur detrimenti. Sanctum autem Tabularium istud esse eò confidentiùs dico, quoniam etsi de rebus sanctis non esset, aut in Templo vestro, id est loco omniū istius Vrbis Reatinæ sāctissimo nō

asseruaretur, minime tamen sanctũ esse desineret, quia vt sapiẽter Vlpianus, *Ea propriè sancta dicũtur, quæ nec sacra, nec prophana sunt, sed sãctione quadã confirmata*; siue vt Martianus proposito huic nostro conuenientiùs explicat, *Sanctũ est quod ab iniuria hominum defensum atque munitum est*, cuiusmodi sanè vestrum Tabularium erit si ex Summi Pontificis & Antistitum vestrorum auctoritate diris deuoueantur falsarij, expilatores, incendiarij & id genus homines rebus etiam sacratissimis, adulterandis, diripiendis & quoquo modo perdendis nati, quorum profligatus pudor eousq; furoris & audaciæ nonnunquam progreditur vt nisi legibus humanis diuinæ fulciantur, frustra quidem sit quodcumque in illos Diuina auctoritate sancitum est. Sed

loci præterea in quo memoriæ illę seruari debent, ratio non postrema habenda est, omnisque in eo potissimum cura versari debet vt sufficienter ab arte munitus sit, tam contra nefarios sceleratorum conatus, quàm aduersus temporis iniurias, & casus illos fortuitos, qui multa plerumque corrumpunt, quibus homines scelesti, & vetustas ipsa non modo fragilibus chartis, sed molibus operosis, solidísq; marmoribus aduersa pepercerant. His autem omnibus ita constitutis Tabularium quidem habebitis pulcrum, elegans, copiosum, atque in suas classes, quemadmodum oportuit, & loculamenta distinctum, sed quod eædem, quæ priùs blattæ, eadem caries, idem situs, mures iidem pessundare rursum non desinent, nisi hominis alicuius fidi,

fidi, atque in hanc rem potiſſimùm attenti cura ab huiuſmodi damnis prohibeatur. De cuius & veſtrûm ſimul omnium officio in Tabularij veſtri non inſtauratione tantùm, ſed conſeruatione modis omnibus procuranda vt paucis dicam, quidquid maximè ad rem ipſam pertinere videtur, non pigebit me hoc loci verba ipſamet Imperatoris Iuſtiniani ad Ioannem præfectum Prætorio vſurpare, *Præcepta faciat tua Eminentia per vnamquamque Prouinciam, vt in Ciuitatibus habitatio quædam publica diſtribuatur, in quam defenſores monumenta recondant, eligendo quemdam, qui horum habeat cuſtodiam, quatenus incorrupta maneant, & velociter inueniantur à requirentibus, & ſit apud eos Archiuum, & quod hactenus prætermiſſum eſt in ciuitatibus emendetur.* Atque hæc

ſunt, Viri Clariſſimi, quæ vobis habebam dicere priuſquam Tabularij veſtri Indicem, ſummo à me, & incredibili cum deſiderio vobis gratificandi confectum, publici veſtrûm omnium iuris & vſus facerem, quo in labore ſi minùs id quod volebam, ſum aſſecutus, faciet tamen humanitas veſtra, cui obſequium meum probaſſe ſatis habeo, vt illius non me pœniteat; ſi verò aliquid ex eodem vtilitatis rebus veſtris accedet, totum id acceptum ferre debetis Domino meo, itémque veſtro, Cardinali à Balneo, cuius in vos propenſæ voluntatis teſtimonium, etiam ſi non hæc Tabularij veſtri inſtauratio patefaceret, non alia quæ quotidie veſtris commodis & honoribus addere contendit ſignificarent, non homines denique teſtari &

pro-

palare vellent, Columnæ tamen Templi vestri de nouo instauratæ, & fornices lateritij & de vilissimis ex ligno fatiscente laquearibus euecti, nunquam hoc ipsum aboleri patientur. Valete.

Hactenus ipse meo defunctus munere scripsi
Membranas, quæ signa notent, quæ tempora rerum
Prisca, voluminibus seruentur condita vestris,
Vtque nouis possint loculis disposta reponi
Singula quæque suis sed nunc nisi vestra tenere.
Incipitis, vestri quàm non fecere parentes
Cautiùs, eximia vos laude carebitis, & re,
Qua melior, me iudice, nec præstantior vlla est.

CXIV.

Celeberrimæ Humoristarum Academiæ.
Gabriel Naudæus fœlicitatem optat.

Romam

NOn essem profectò dignus ijs literis, quarum ego majorem in modum studia complector, nisi vobis, Proceres Academici, qui earundem æstimatione

celeberrimi non in Vrbe modò, ſed per Orbem cluitis, gratias haberem quantas animus capere poteſt maximas pro honore quem ipſis qualeſcunque in me illæ ſint, accipiendo me in veſtrum eruditiſſimum Cœtum habere voluiſtis. Neque enim ſum neſcius quàm præclara rebus meis acceſſio facta fuerit ex ſolemni illa teſtificatione veſtrûm omnium in me voluntatis, & cùm memoria recolo nullum propè magnum & memorabilem virum Romæ fuiſſe ab eo tempore quo primùm Academia veſtra tantum inter alias, quæ frequentiſſimæ ſunt caput extulit,

Quantum lenta ſolent inter viburna Cupreſſi,

qui nomen ſuum illi dediſſe non ſummæ ſuæ & cumulatiſſimæ laudi duxerit, videor mihi proculdubio

bio tutius hoc egregio & immortali beneficio quod a vobis accepi, ſtudiorum meorum commodis & honeſtati conſuluiſſe, quàm tot hactenus in eorum contentione & quaſi feruore continuo exantlatis laboribus, qui non tam numero ſuo, aut cultu, quem illis ex humaniorum diſciplinarum floſculis & amœnitatibus indiderim, quàm approbatione veſtra ſument auctoritatem. Quippe cùm nihil ſit in vobis plebeium, nihil humile, aut è triuio petitum, ſed omnia ad auguſtiſſimæ laudis amplitudinem & perpetuæ commendationis famam accomodata; locus nempe in quem conueniris ornatiſſimus, Princeps qui vos moderatur ſpectatiſſimus nobilitate & doctrina, ſermones non niſi de rebus grauiſſimis, Auditores è

purpuratorum Antistitum Collegio selectissimi quique & optimi, Academici denique quales olim fuerunt Tassi, Guarini, Marini, Grilli, Aleandri, Riualtij a Flurenza, & verò nunc sunt Allatij, Mascardi, Holstenij, Leonidæ, Simeones, Suaresij, Tortoleti, Bucciardi, Camolæ, digna prorsus omnia Cælo & æternitate nomina, quorum ego societate recreatus & incitatus exemplo cùm famæ & dignitati meliùs, tum ingenio deinceps propensiùs consulam. Sanè compulerunt me rationes eiusmodi in illud desiderium, quod tamen incomparabili viro, & summa mihi officiorum necessitudine conjuncto Leoni Allatio non priùs literis meis significandum duxi, quam ex Symmacho didicerim illud non debere vo-

re vobis nouum aut insolens videderi, Nam vt inquit ille, qui omnium ore celebrantur & probitatis laude conspicui sunt, incognitos quosque ad amorem propriæ familiaritatis inuitant. Quamobrem ea de causa factus audacior licentiam Allatio meo feci, vt ad vos de voto meo referret, cuius me per vestram humanitatem damnatum fuisse, est omninò quod mihi summoperè gaudeam, Tibi verò, Camille Columna, Princeps meritissime, quem tot virtutum dotes & antiquissimæ familiæ tuæ splendor supra calamum meum exornant, tantum me tibi debere profiteor quantum persoluere difficile est, vobis denique Proceres Academici, quorum in me ornando propensionem non præter spem, sed vltra meritum meum,

ſum expertus, iſtud omne de me polliceor, quod expectare poteſtis ab animo veſtrûm omnium jampridem amantiſſimo, cuíque priùs vnquam, aut antiquius nihil erit, quàm veſtris commodis & honoribus inſeruire quod equidem ita me præſtiturum recipio vt quoad per me fieri poterit, paucos mihi pares in amore & cupiditate veſtrarum rerum ſecundarum ſitis habituri; ſicut in colenda quoque beneficij veſtri memoria nemini ſum conceſſurus, etſi illud præ magnitudine ſua de eorum genere ſit, pro quibus gratiæ referri non poſſunt, haberi autem animo & obſequio ſingulari verbis certè non poſſunt. Quare purgabit me apud vos clariſſimus Allatius ſi abſens non ſatis cumulatè officium hoc vobis exhibere poſſum,

ſim quod præſens modis omnibus ſtudebo probatum iri Academiæ veſtræ, cui gloriam & fauſta omnia, quemadmodum antea ſemper ex animo feci, ita nunc ex muneris mei ratione precor & voueo. Valete.

De tribus Italiæ Academiis, quibus nomen meum dedi.

Trina, meis ſtimulata libens Academia, amicis
Me tenet, & patulo pectore blanda fouet:
Primáq; velocis quã perluit vnda Metauri, (a)
Hoc Federice *tibi detulit obſequium.*
Poſtea Romuleæ (b) *fierem quo gratior, vnus*
Orbis honor noſtri præ iit Allatius.
Et modo mellifluo quæ Gaddi *pendet ab ore*
Thuſca, (c) *viri tanti me capit arbitrio,*
Nempe mihi triplicem Saturnia terra decorem
Contulit, hácque mei nominis vrget amor:
Iudicio vt quantum tribuat ſimul iſta virorum
Cura mei, quibus eſt maxima, ſic pateat.

(*a*) Vrbini. (*b*) Romæ. (*c*) Florentiæ.

QVare verò per decennium integrum Auctor hic eruditissimus a conscribendis Latinè literis abstinuerit, occupationes eius grauissimæ fuere in construenda Eminentissimi Cardinalis Mazarini Bibliotheca & postremùm illa Serenissimæ Christinæ Reginæ Suecorum.

ΑΠΟΒΑΤΗΡΙΟΝ ad amicos meos cùm ex Italia discederem.

O mihi dilectæ cur vitam ducere Romæ,
Cur Latio sedem ponere fata negant?
Quid iuuat aërias toties volitasse per Alpes,
Quid quater insanis vela dedisse notis;
Innumeris quos fama Viris ad Sydera tollit
Inclyta, si posthæc incola rarus ero?
Hospitium Galeote *tuum*, Paganine *tuúmque*,
Atque tuum Doni, *linquere si propero.*
Holsteniòque *breuem si cogor ferre salutem,*
Et pauca Allatio, *dicere verba meo,*
Si vestros Gaddi, Nardi, Tomasine, Cotuni,

Transeo.

Transeo festino quadrupedante lares,
Si tua Balde *sagax complecti, vel tua* Serui
Pectora non possum candidiora niue;
Si neque Argolium, Berigardum, Taureliúmque
Bendandum & Ponam *stringere pro merito;*
Vix quoque facundi dextram si tangere Scioppi,
Vixque Palatini Gasparis *ora datur.*
Si te grande meis, Cassi, *decus addite factis,*
Sed fugiens vel te culte Querenge *peto,*
Si neque mansurus Nici, Nouarine, Casali,
Cognita tot doctis lumina vestra premo,
Denique si Rhodium, Veslingum, *atque* Licete,
Ferrariúmque *mihi vix licet aspicere:*
Sed mea cùm vigilent quærendis otia libris,
Queis noua Iuliadæ *Bibliotheca nitet,*
Hæc ego cùm vestris capiam solatia, magni
Phœbigenæ, absenti quæ dare Musa solet,
Et fruar ingenij pulchro molimine quando
Aspectu vestro non licet vsque frui.

Ad IVLIVM CARDINALEM MAZARINVM de variis itineribus à me locupletandæ eius Bibliothecæ causa per Europam susceptis.

D*Vm struis innumeris sedem* Mazarine *libellis,*
Hosque iubes toto sedulus Orbe legam,
Primus ab exhaustis retulit labor omina Belgis
Et redij spoliis ditior Atrebatum

Proxima cura fuit Venetûm lustrare tabernas,
Helueticos saltus, Ausoniæque plagas.
At nunc Sarmaticis petimus loca fœda pruinis
Tam facilis blando vis latet imperio!
Nec mea iam seris ætas malè tuta sub annis,
Nec dubiæ obstabunt certa pericla viæ?
Quin paribus studiis Martem coniungere Musis
Gallia te magno vindice, sola queat.

Ad eundem eadem de causa, de meo in Angliam itinere.

QVo tua per varios crescat, Mazarine, *labores*
Orbis in exemplum, Bibliotheca, meos;
Iam tribus emensis Europæ partibus, Anglos
Diuitiis conor nunc spoliare suis,
Hispani restant, sed tu dum Marte fatigas
Illos, iure mihi hospita tecta negant.
Hinc tibi cum telis vel libris ponere metam
Conueniat, telis sit rogo meta tuis.

CXV.

Isaaco Vossio Viro clarissimo, Doctissimóque, Gabriel Naudæus S.P.D.

Stocholmiam

MIrabar ego, clarissime Vossi, cùm literæ tuæ nuper a Domino Didalio mihi redditæ sunt, aliquid in me esse, mihimet ipsi incognitum quo Seremissimæ Reginæ (*Christina scilicet*) omniúmque in explorandis ingenijs solertissimæ, non innotescere modò, sed placere potuerim. Exploraui igitur me totum ad vnguem, euolui diligenter aduersaria vitæ meæ, atque ita demum apud me statui, hominem me literis tantùm Latinis mediocriter excultum tibi virorum optimo, ac de multis bene merendi studioso, beneficium istud debere, quo nullum vnquam in vita, aut optabilius, aut mihi

honorificentius accipere potuerim. Quamobrem istud imprimis mihi seruandum est, vt gratias tibi de illo habeam quàm possum maximas; deinde verò vt me virtuti ac doctrinæ tuæ pridem, nunc verò incredibili etiam beneuolentiæ addictum fore tibi ita persuadeas, nihil vt tibi certum aut persuasum magis esse possit. Sed orandus præterea mihi es, vt qui me Serenissimæ Reginæ tot officiosis, ne quid grauius dicam, testimonijs commendatum esse de meliori nota voluisti, illud etiam per mollia tempora fandi insinuare eidem velis, me, quòd tibi de me tam prolixè crediderit, quòd verbis vsque adeò blandis ad se, Aulámque suam inuitauerit, quòd denique munificentiæ Regalis testificationem addiderit amplissi-

mam, oblatis mihi per Dominum Bidalium, quotiescunque me itineri committere vellem aureorum numuum tot millibus vt me statim in ruborem ex tenuitatis meæ conscientia conjecerint, me inquam tot priuatis nominibus, ita eius commodis & nutibus vel minimis obedientem postea futurum persuadeas vt nihil mihi tam arduum esse possit quod ea volente non velim, aut jubente non aggrediar. Frustra igitur mihi, aut ætatem, senio proximam, aut longinquas eo vsque molestissimas peregrinationes, aut itinerum pericula, aut Cœli solíque mutationes quis obijciat, meliùs tu, Vossi, nihil esse quod ego tantæ Reginæ gratiâ facturus non sim, veréque contendis. Et sanè per me vnquam non stabit, quin te optimum Va-

tem fuiſſe res ipſa cõfirmet. Enimuerò quòd Eminentiſſimus Cardinalis Mazarinus licet reflantibus Fortunæ ventis hûc illûc projectus, me non ſecùs addictum ſibi & nexu, mancipióque habeat, quàm cùm eius virtute ſupra illud omne, quod humanum eſt maxima Gallorum imperium nondum improbis ac nefarijs Factioſorum conatibus impetitum ſuam conſtare felicitatem expertum eſt. Nihil propterea de ea re, quam impenſiùs vrges eo non annuente, multóque minùs inconſulto ſtatuere poſſum. Auguror tamen, imò verò polliceor bona ſua venia fieri iſtud poſſe, ſi ex Sereniſſimæ Reginæ literis ſemel cognouerit iſtud ei in votis eſſe, vt quam ipſe in Gallia Bibliothecam, omnium, quæ vnquam fuerunt, locupletiſ-

ſimam, inſtruere meâ operâ aggreſſus eſt, quando ſpes eius abſoluendæ tantùm non decollauit, eam demùm tantæ Reginæ fauſtis felicibúſque auſpicijs in extremo Septentrione perficiam. Atque ita vides qui ſit in præſentia rerum mearum ſtatus, ego verò quanta ſit in me & quàm mirifica Sereniſſimæ Reginæ propenſio, ignorare ex literis tuis non poſſum. Grati animi ſignificationem ſi a vulgaribus perſonis libenter amplectimur, quanto magis illam, quæ proficiſcitur a Regina, eáque potentiſſima, & ſapientiſſima lubentiùs amplecti & ſuſpicere & venerari debeo. Certè mei muneris eſt cauere impoſterùm ne Diua Chriſtina hominem in me parum nominis ſui religioſum cultorem obtineat: tui verò ea mihi

mandare quibus illam, tantum in me honorem & beneficium non malè collocasse omnes intelligant. Vale felix, Doctissime Vossi, & Burdelotio nostro Charitum ocello, cùm ad vos appulerit, salutem, precor, meo nomine nuncia plurimam. Parisijs 15. Decembris quo die tuas accepi 1651.

Epistolarum
GABRIELIS NAVDÆI
Parisini.

FINIS.